

DE DIANAE ANTIQUISSIMA APUD GRAECOS NATURA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MYTHOLOGICA

QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXIII M. MARTII A. MDCCCLXXXI, HORA XI
IN AULA MINORE
PUBLICE DEFENDET

ADOLFUS CLAUS
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT
LEOPOLDUS SKOWRONSKI, CAND. PHIL.
HENRICUS SEIDEL, DR. PHIL.

VRATISLAVIAE.
APUD L. KOEHLERUM.
MDCCCLXXXI.

111 R

AUGUSTO ROSSBACH

SACRUM.

Prooemium.

Welckerus in universum de religionis Graecae historia disputans in Mythologiae vel Theologiae Graecae tom. I, p. 7 haec scribit: 'Wenn es möglich wäre, einen Kreis von religiösen Vorstellungen aus demselben Zeitraum (eandem dicit aetatem, qua moenia Cyclopum et Myniae mirabiles tholi exstructa sunt), die nur durch kritische Forschung nach und nach erkannt werden können, in ihrer Kernhaftigkeit und Fruchtbarkeit mit gleicher Anschaulichkeit und Wirkung auf den Geist hinzustellen, als worin diese Ueberreste uns vor unsern staunenden Blicken stehen, so würden die aus Unkenntniss geringen Vorstellungen von den Anfängen der griechischen Geschichte sich noch ungleich mehr erweitern und glänzend erhellen.' Quibus verbis equidem nihil rectius dictum censeo neque quidquam totius antiquitatis historiam magis adiuvare posse arbitror, quam illam reconditam nationis Graecae originem indagare, ut in dies magis appareat, quomodo virtutes, scientiae, artes, quibus Graeci postea omnes gentes superaverunt, ortae conformataeque sint. Qua in re tractanda cogitationem ad Graecorum de diis sententias ante omnia dirigamus necesse est, cum in religione suam quaeque natio principalem naturam maxime exhibeat. Itaque etsi difficillimum esse novi in hac disciplina, cuius tam fluxa est materia, firmo pede consistere, tamen hoc conamen mihi subeundum esse duxi quaeque de

Dianae antiquissima natura effecisse mihi videor, sententiasque novas, quas de diis Graecis in medium protuli, nunc publici iuris facio, ut eruditi inventa aut probare aut refellere possint.

Ac Dianae quidem in vetustissima Graecorum religione, qualis ante Homeri aetatem fuerit, describenda prae ceteris ratio habenda est, quod in huius deae cultu antiquissimi ritus servabantur et quod etiam postea Diana apud Graecos summa religione et cultu eximio honorabatur. Fuerunt autem qui ex aliena terra Dianae cultum in Graeciam tralatum esse contenderent[1]) aut multiplicem statuerent cultus originem[2]). Haec sententia imprimis eo probari videbatur, quod Graeci ipsi fabulas de cultu ex externis gentibus illato tradiderunt: sed huiusmodi fabulis, cum saepe nihil nisi antiquae religionis redintegrationem vel levem immutationem significent, non multa fides tribuenda est. Contra probare conabor ex intima nationis Graecae indole et religione Dianae cultum ortum esse et apud Pelasgos, Graecorum antiquissimas gentes, summo in honore semper fuisse solumque nomen deae *Ἄρτεμιν* e lingua orientali descendisse: facilius enim in religione nomina quam numina ipsa permutantur. Deinde poetarum imprimis epicorum ingenio tribuendum duco, quod ex illis Pelasgicis diis Olympici, qui dicuntur, evaserunt et per omnes Graeciae partes aeque vulgati et in gentes familiasque ordinati sunt. Sed in vallibus Arcadiae remotis aliisque Graeciae regionibus, ubi priscas sedes obtinuerant gentes, Pelasgici di solito more colebantur: quin etiam homines interdum iis mactabantur, qui mos in Dianae cultu maxime vigebat. Dolendum autem est, quod religionis Graecorum antiquissimae, quae nulla philosophorum ratione habita naturam solam secuta est, tam rara vestigia sunt, ut nullo modo nisi coniectando proficere possi-

---

[1]) cf. G. Hermann, op. ac. VII, p. 307.

[2]) Jam mythologi antiqui id fecerunt. cf. Cic. d. nat. d. III, 23, 58, inter recentiores Welcker, Theol. Gr. I, p. 561.

mus[1]. Iam in huius disputationis circuitu vestigia conferam, quae ad antiquissimam naturam pertinent eius deae, quae a Graecis plerumque Ἄρτεμις nominata est, nonnunquam vero comparandi ratio et via etiam de aliis Graecorum numinibus me disserere coget.

[1] Welcker, Th. Gr. I, p. 26: 'Was wir von dem Stamme der Pelasger wissen, ist seine besondere Verehrung des Zeus und der Erdgöttin und seine Neigung zum Ackerbau.' cf. Bäumlein, Pelasgischer Glaube und Homers Verhältniss zu demselben. (Zeitschr. f. Alterthumsw. 1839 p. 1182—1212.)

Pars prior.

Priusquam ad Dianae naturam explicandam accedimus, nonnulla de gentibus Graecis praemittenda videntur. Cum enim de Pelasgis et aliis priscis gentibus doctorum hominum sententiae valde inter se discrepent, summatim de illorum origine et stirpe agendum nobis erit.

Iam si Pelasgorum nomine utimur, non cum illis facimus, qui Semitas eos fuisse censent, quamquam non ignoramus eos ab Herodoto *βαρβαροφώνους* appellari et nonnullas Pelasgorum quae dicuntur religiones velut Samothracicam Semiticas voces exhibere. Nam cum Iupiter Dodonaeus ab Homero (*Π* 233) Pelasgicus appelletur, in intima Graeciae parte sedem Pelasgorum sitam fuisse certe novimus, quam in regionem Semitas venisse vix credibile est. De eadem autem gentium familia atque Pelasgi Phryges originem duxerunt, quare eorum et linguae et religionis cum Graecis similitudo notanda est. Nec Tyrrheni, qui per mare Aegaeum vagabantur, aut Leleges, quae cum Caribus mixta gens erat, consanguinei non erant. In Graecia ipsa huius magnae nationis partes residebant: Cadmei Thebis, Minyae Orchomeni in Boeotia, Erechthidae Athenis, Arcades in media Peloponneso. Item in Peloponnesum e Phrygia advenit Pelops non plane alienigena, cum gentes Phrygicae et Graecae cognatae essent. Ad utrumque igitur Aegaei maris litus gentes habitabant ex eadem natione ortae et lingua, moribus,

religione similes. Nec tamen omni tempore inter se pacatae erant, id quod bellum Troianum, quod usque ad internecionem unius illarum gentium gestum est, satis demonstrat.

Iam vero cum ad illius nationis historiam recte intellegendam sciri necesse sit, quae confines nationes fuerint, quibuscum commercium orientem versus profecti habuerint, de his quoque rebus quaedam praemittere liceat. Primum illam rationem, qua orientales et occidentales Indogermanorum gentes dirimuntur, haud probandam esse duco Ioh. Schmidtium (die Verwandtschaftsverhältnisse der indog. Sprachen, 1872.) secutus, cuius rationes adhuc non debilitatae sunt. Ernesti Curtii de Ionibus notissima opinio (die Ioner vor der ionischen Wanderung, 1855), qui Ionum partem, cum Graeci in Europam traicerent, in Asia quae dicitur minore remansisse coniectat, ex eadem cogitatione nata videtur. Neque solum Indogermanae gentes inter se cohaerebant, sed illo iam tempore, cum sedes, quae in Bactriana terra fuisse putantur, modo reliquissent, etiam Semitarum aliarumque nationum velut Protochaldaeorum, qui proprio nomine Accades Sumiriique nominantur [1], in confinio erant. Vel nuperrime Krichenbauerus [2] Graecorum maiores in Cilicia et ad montem Argaeum in Cappadocia habitasse astrologia nisus accurate probare conatus est. Certe Graeci fere nullam illorum temporum memoriam servabant. Semitae linguam et mores Graecorum finitimarumque nationum illo tempore certe inficiebant cum in Asia tum in omnibus maris Mediterranei partibus mercaturam facientes. Perversum tamen est ex Aegypto putare deos et artes in Graeciam pervenisse [3], quo singulos tantum advenas ex Aegypto profectos appulisse concedi potest nec tamen natione Aegyptios, sed aut Semitas aut Indogermanos ipsos, qui antea Aegyptum fortasse a Graecorum examinibus declinati aut stipendiarii pervenerant.

---

1) Fr. Lenormant, Die Anfänge der Cultur, 1875, I p. 72 sq.

2) Theogonie und Astronomie, 1881, p. 181 sq.

3) Sic Mercklin, Ueber den Einfluss des Orients auf das griechische Alterthum, 1851. Artis Aegyptiacam originem statuit Thiersch, Epochen der Kunst bei den Griechen, 1829.

Cum gentibus orientalibus, quae iam antiquissima aetate sub regum opulentissimorum imperio erant et litterarum artiumque studiis florebant, duabus viis patentibus commercium e Graecia fieri potuit [1]). Altera praeter Aegaei maris insulas et Cariae, Lyciae, Pamphyliae, Ciliciae litora in Syriam ducebat, qua navigantibus Cyprus insula stationem praestabat munitam omnibusque opibus instructam. Altera via ex septentrionali Asiae parte per Pontum Euxinum patebat, qua qui commeabant usque in Armeniam commode pervenire poterant. Neque enim in interiores Asiae partes per medias terras, Phrygiam Cappadociamque, aditus facilis erat, cum longinqua subeunda essent per regiones partim vastas partim saltuosas itinera. Contra nautae per maria fluminumque ostia navigiis suis etiam in superiores Asiae partes penetrare potuerunt, cuius rei Argonautarum fabula optimum praebet argumentum. Graecia ipsa, quae plurimis maris incursibus quasi dilacerata est, navigationis exordiis aptissimum praebebat locum. Itaque ab illis Pelasgis agrorum cultoribus paulatim ei differebant, qui litoralibus regionibus occupatis in insulas proximas transire incipiebant. Eorum autem, qui oras maritimas planitiesque finitimas incolebant, commune Achaeorum nomen fuisse censeo, cuius nominis radicem *ἀχα* i. e. aqua vel ahva fuisse facile agnoscere possumus [2]).

Cum vero nationes Asiaticae plerumque Graecis eruditiores essent, inde instituta, artes eruditionemque eos recepisse apparet. Nec tamen indidem totam Graecorum religionem profectam esse concedimus, cum multo facilius vel linguam quam religionem hominum permutari posse arbitremur. Itaque Semitis ne nimium tribueris in conformanda Graecorum religione, quem in errorem nuper E. Curtius [3]) incidisse videtur. Certe Dianam genuinum Graecorum numen esse probabo, etsi sententiae de eius natura paulatim permutatae

---

[1]) cf. E. Curtius, Die griechische Götterlehre vom geschichtlichen Standpunkte (Preuss. Jahrb., tom. 36, p. 1—17), p. 5.

[2]) Indidem descenderunt nomina *Ἀχελῷος*, *Ἀχιλλεύς*, alia.

[3]) An. Boruss., tom. 36, p. 4.

sunt nomenque ipsum ex Arica Indogermanarum linguarum parte mea sententia descendit. Praeterea vero in Dianae cultus historia clarissime cerni licet illam mentis humanae a rudibus et a natura ipsa quodam modo insitis notionibus ad praeclaras illas pulcherrimasque poetarum artificumque cogitationes progressionem, quae ex diis mere naturalibus numina egregie ethica conformavit, qua in re satis certe propriam Graecae gentis indolem agnoscas. Sed tum demum hunc progressum intelleges, cum Dianae naturam antiquissimam perspexeris.

Caput I.

De Dianae nominibus.

Cum in hac dissertatione lingua utamur Latina, Latinum quoque deae nomen tractemus ac primo quidem loco: neque enim hoc supervacaneum videtur, cum hac disceptatione etiam de Graecae Dianae natura optime doceamur. De etymologia huius vocabuli dubitare iam non licet[1]: feminina est Iani nominis forma i. e. *Djani, cui respondet Graecum *Ζάν* vel *Ζήν*. Radix vero, unde descenderunt nomina, Indogermanica est div vel dju, in qua inest lucendi notio. Nomini masculino *Div-an- addita determinatione feminina -a deae antiquissimum nomen *Divana natum est, quod idem significat ac Germanorum Berhta: die Erlauchte. Apud Italos nominis littera v evanuit, reliqua vocis elementa accurate servata sunt, masculina autem *Diani forma primam quoque litteram emisit.

Sed ne Italicae tantum linguae nomen et deam *Divanam propriam fuisse putaveris: etiam in Graeca lingua idem reperimus deae nomen, quam rem etsi magni momenti est, mythologi fere omnes adhuc neglexerunt. At philologi, qui comparativam tractant grammaticam, Graecorum *Διώνην* secundum litterarum congruentiam plane eandem esse ac Romanorum Dianam iam statuerunt[2]. Iunonis autem nomen,

---

[1]) cf. **Benfey**, Orient und Occident, I, p. 280.

[2]) cf. **Foersteman**, Zeitschr. f. vergl. Sprachforschung, tom. 17, p. 362, **Benfey**, Orient u. Occ., I, p. 280: 'Völlig formationsidentisch mit Diana ist *Διώνη*, die Tochter des Uranus und der Gäa.'

quod mythologi cum illa Dione comparare solent, quamquam ab eadem radice doclinatum est, aliam conformationem exhibet. Dionae igitur nomen, praeterquam quod α in ω mutatum est, cum illa Latina forma omnino congruit.

A Dodonaeis Dionen Iovis uxorem praecipue cultam esse notum est. Iam vero cum magnam Italorum partem, antequam Adriam traicerent, in Epiro habitasse constet[1]), eandem Italos et Pelasgos Dodonaeos coluisse deam colligere possumus, cumque Romani Graecorum *Ἄρτεμιν* Dianam ipsorum esse interpretarentur, ne *Ἄρτεμιν* quidem antiquissimam a Dione diversam fuisse censemus, cuius rei infra augebimus argumenta.

Pergimus abhinc ad quaestionem, quid *Ἀρτέμιδος* nomen significet, quae tam difficilis est, ut G. Curtius artis etymologicae gravissimus auctor se illud nescire profiteatur[2]). Primo conquirendum est, quae antiquissima nominis forma sit. Vulgata Graecorum est *Ἄρτεμις*, G. *-ιδος*, Dores vero deam *Ἄρταμιν* appellabant et casus obliquos plerumque a radice in tenuem desinente *Ἀρταμιτ-* flectebant: praeterea Etrusci nomine utebantur paulo degenerato Art*u*m*e*s vel Ar*t*e*m*es[3]), et apud Scythas dea colebatur Artimpasa[4]) nomine, quam Herodotus (IV, 59) *Ἀφροδίτην Οὐρανίαν* interpretatur. Ea quoque nominis forma similitudinem Graeci vocabuli exhibet, cum compositionem illius facile agnoscamus. Namque *Ἀρτιμ-* corruptam *Ἀρτέμιδος* formam esse duco et *-πασα*, quod restat, a rad. p a t (i. e. dominari, cf. Sanscr. patis, Gr. *πόσις*, Lat. potis, possum) derivandum esse veri simillimum est. *Ἀρτίμπασαν* igitur, si recte opinamur 'Dianam dominam' interpretari possumus[5]). Antiquissimam vero formam in Dorica, *Ἄρταμις*, agnoscimus, quod vocalis α alterius syllabae in-

---

[1]) cf. Helbig, „Hermes", tom. 11, part. 3.

[2]) Etym. Gr. 4. ed., p. 488 (5. ed., p. 556).

[3]) Deecke, Bezzenbergers Beiträge z. Kunde d. indog. Spr. II, p. 163.

[4]) Hes. s. h. v. C. I. G. n. 6014. cf. Curtius Ann. Bor., tom. 36, p. 8.

[5]) Aliter de hoc nomine Movers, Die Phönizier I, p. 624. Similiter Armeniorum dei nomen 'Tiespas' (cf. Mordtmann, Zeitschr. d. deutsch-morgenl. Gesellsch. tom. 36, p. 633) compositum videtur e Ties- i. e. *Ζεύς* vel Ziu sive Tyr (qui Germanorum deus est) et -pas i. e. dominus.

corrupte servata est, cum vulgo in e vel etiam i et u depravata sit.

Permultas adhuc nominis Ἀρτέμιδος explicationes viri docti facere conabantur, quorum errores singulos perstringere et longum et inutile est, cum is qui etymologiae rationes paululum cognoverit, facile eas hariolationes perspiciat[1]). Vulgo adjectivum nomen ἀρτεμής, q. e. 'sanus, incolumis' ad explicandum Dianae nomen adhibetur[2]), ut 'integram virginem' illo significari dicatur. Sed quamvis vulgata de Dianae virginitate sententia sit, tamen antiqua non videtur esse: neque enim ἁγνή, quod vocabulum deae castitatem significare dicunt, in Iliade de dea usurpatur, neque alia eiusdem notionis vox. Itaque huiusmodi significationem in Ἀρτέμιδος nomine inesse minus verisimile est neque ratio, qua ex illo adiectivo nomen derivetur, satis apparet. Litterarum deinde concentus fortuitus esse potest: denique ἀρτεμής adiectivum nusquam de puella integra usurpatur, sed in universum corporis sanitatem significat[3]). Itaque hanc etymologiam probare non possum.

Novam Ἀρτέμιδος nominis explicationem in medium proposuit A. Goebel[4]), qui transpositione usus rad. σρατ- vel ῥατ- i. e. vibrare statuit et Ἄρτεμιν 'iaculatricem' significare censet. Cum vero de conformatione nominis auctor ipse dubitet, talem etymologiam infirmam vix quisquam probaverit.

Sane e verborum Graecorum copia non facile etymon inveneris, neque ex Semitarum lingua nomen cur deducamus, causa probabilis est, quin etiam illo apud Scythas usu id facere prohibemur. Praeterea Semitae alio huius deae utebantur nomine, quae Anahid vel Anaïtis ab iis appellabatur. Aliorum autem nationum imprimis earum, quae Asiam incolebant, linguas velut Phrygiam[5]) minus novimus, quam ut

---

[1]) cf. Lauer, System der gr. Mythol. p. 287 sq.

[2]) velut a Prellero, Myth. Gr. I, p. 237, 3. Similiter iam Plato, Crat. p. 406 B.: Ἄρτεμις δὲ τὸ ἀρτεμὲς φαίνεται καὶ κόσμιον, διὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπιθυμίαν.

[3]) cf. Hom. *H*, 308, *v*. 43.

[4]) Lexilogus z. Homer u. d. Homeriden, I, p. 594.

[5]) qua de lingua Ἄρτεμιν descendisse Clemens Alex. dicit, cf. I, p. 384 (Pott): Φρυγίαν οὖσαν Σίβυλλαν Ὀρφέως παλαιοτέραν κεκλῆσθαι Ἄρτεμιν.

vocabuli originem in has regiones sine ambagibus revocare possimus. Sed cum apud Scythas eadem dea culta sit et per omnes fere Asiae urbes eius templa fuerint, nomen ex illa Indogermanorum parte derivandum esse probatur, quam cum Ariis i. e. Persarum Indorumque gentibus diutius quam Italos Dodonaeosque Pelasgos cohaesisse apparet[1]), quare Persicam linguam, quippe quae Aricarum proxima sit, ad explicandum nomen adhiberi opus est. Ad veritatem proxime accessisse videtur Layardius[2]), vir Assyricarum rerum peritissimus, qui e lingua Persica nomen fluxisse ratus compositionem ex 'arta' et 'mis' statuit, quae verba significare 'magnam matrem'. Apud Persas enim vocem arta saepissime invenimus velut in nominibus propriis Artaphernes, Artabazus, Artaxerxes, Artaxata, Artaea, Artaei[3]). Quae vero notio fuerit huius vocabuli, facile eruere possumus: arta- afixa -ta determinatione ad rad. ar-, quae compluribus notionibus continetur (velut aptare: *ἀρ-αρ-ίσκω* et movere: *ὄρ-νυμι*), referendum est, quod adiectivum apud Persas notionem 'excelsi' vel 'fortis' habebat[4]). Quod ad reliquam nominis partem attinet, dubitari potest, utrum determinationem agnoscamus, qualem in *Θέ-μιδ-ος* nomine habes, an cum Layardio 'matrem' illis litteris significari putes. At hoc quidem minus probabile videtur, cum in illa Indogerm. rad. matr a longa conservata sit. Qua de causa determinationem statuere malim, praesertim cum nomina eodem *μ* conformata apud Persas multa reperiantur, velut *Ἀρτάμης*, *Ἀρτάμνης*, *Ἄρταμις* ipsum, Bactriani fluminis nomen. Denique Artimpasa cum matris nomen in unam litteram m corripi posse negem, illius explicationi obest. Itaque *Ἀρτέμιδος* nomine apte et simpliciter 'magnam' vel

---

1) E. Curtius l. l. p. 8; Joh. Schmidt, l. l. p. 21 sq.

2) Recherches sur le cult de Venus, p. 107, quem librum doleo introspicere me non potuisse.

3) cf. Steph. Byz. s. v. *Ἀρταία*: *Ἀρταίους Πέρσαι, ὥσπερ οἱ Ἕλληνες τοὺς παλαιοὺς ἀνθρώπους ἥρωας καλοῦσι. τάχα δὲ καὶ ἐντεῦθέν μοι δοκεῖ Ἀρταξέρξαι καὶ Ἀρταβάζοι.* Hes. s. v. *Ἀρτάδες*.

4) cf. Herod. VII, 61 et Steinii not. Fick, vergl. Wörterbuch der indog. Sprachen, p. 233.

excelsam' deam nominari apparet, cuius rei novum ex alia parte petitum addere possum argumentum.

Semitica Artemidos versio antiquissima tradita est in illo notissimo Semiramidis nomine. Significat enim Moversio auctore (de Phoen. I, p. 634) שמירמות 'altitudinis' vel 'maiestatis nomen' (שם Semitice item quod 'nomen', רמה 'altum, sublime'), cuius vocabuli in conformatione versio ipsa indicari videtur. Semitae igitur deam, quam ab Aricis gentibus cultam videbant, sua dialecto Semiramin accurata nominis versione facta nuncupabant eamque paulatim consuescebant putare reginam oputentissimam quondam fuisse.

Sic utrimque et ex Indogermanicis et e Semiticis linguis argumenta contulimus, ut quam statuimus Artemidos notionem undique firmaremus. Sed cogitatio quoque ipsa persuadere nobis potest per se aptissimum esse Dianae illud nomen. Deorum enim usitatissimis appellationibus plerumque in universum numinum naturas significari constat velut *Ποσειδῶν* nihil aliud nisi 'dominus' audit, cum a rad. pat i. e. dominari illud descendere verisimillimum est. Certe deorum proprietates, quae in decursu temporum diis paulatim a poetis adscriptae sunt, nominum antiquissimorum significationes continere non possunt. 'Sublimem' autem vel 'excelsam' si nominabant Dianam in universum divinam ac coelestem quandam naturam illo nomine significabant, quae eadem in 'Diana' inest.

Quamquam Persicam linguam in Artemidos vocem explicandam adhibuimus, tamen Persicam eam esse negamus, cum 'Anahitam' deam nostram a Persis appellatam esse sciamus. Sed tribuerim nominis originem illis nationibus, quae ex Bactriana Indogermanorum pristina sede progressae usque ad maris Aegaei oras habitabant: a quibus Graeci deae nomen exceperunt illo fortasse tempore, cum nondum in Europam transgressi iuxta illorum sedes morabantur. Sed illud quoque nomen, quo antea deam appellaverant, Dianam vel *Διώνην*, etsi minus vulgare, Graeci reservabant. Itaque recte Stuhrius (Geschichte der Religionsformen der heidnischen Völker II, p. 226), quod de nominibus dicit: die Artemis, die in Rom als Diana ihren alten ursprüng-

lichen Namen wiederfand, ist in der geschichtlichen Entwickelung des religiösen Bewusstseins der Bewohner des nordöstlichen Griechenlands aus dem Wesen der geistigen (?) Gottheit Dione hervorgegangen'.

Earundem gentium, quae Ἄρτεμιν deam nostram appellabant, pars ea, quae in Cretam insulam transierat, alio Dianae nomine antiquissimo utebatur, dico Britomartin et Graeci quoque hac peregrina voce Dianam, quam fere eandem esse deam cognoverant, nominabant[1]). Usitatius quidem erat Dictynnae nomen, quod idem e Creta insula, cuius in occidentali parte maxime colebatur, ad Graecos pervenerat[2]). Iam vero primum de Britomartios nomine agamus, cuius interpretationem Cretica e lingua haustam Etym. Magn. (s. h. v.) tradidit. 'Dulcem virginem' verba audire lexicographus dicit, cum 'brito-' idem quod dulce, 'martis' virgo sit[3]). Etsi haec notio non satis apta videtur, tamen aliquid veri in illa interpretatione inest. 'Brito-' enim idem esse censeo atque adiectivum blîtha vel blîde Germanicum, cui inest notio 'mitis' vel 'suavis' vel 'dulcis' et Sanscriticum prîta i. e. hilaris[4]), cum ι in Britomartis nomine primitus longum esse censeam, quamquam a Callimacho (h. i. D. v. 190.) ex metri necessitate corripitur. De hac igitur priore vocabuli parte cum lexicographis consentimus: neque tamen in posterioris 'martis' explicatione acquiescere possumus, cum virginem a Cretibus non 'martim' sed 'marnam' dictam esse sciamus[5]). Iam vero cum Indogerm. radicem 'smar' i. e. meminisse vel 'smarati' i. e. memor habeamus[6]), inde nomen 'martis' deducendum esse existimo, ut composita nostra voce fere idem quod εὐ-μενής significatum esse videatur. Atque in hac explicatione artis etymolo-

---

[1]) cf. Paus. III, 14, 2: Nymphae formam postea apud Graecos induit. Paus. II, 30, 3: Callim. hymn. in Dian., v. 199, et adn. Spanhemii in eius ed. II, p. 258. Hoeck, Kreta, II, p. 158, 180.

[2]) P. X, 36, 5. Eur. Hipp. v. 146, 1130. Aristoph. Ran. 1359.

[3]) Hes. s. v. βριτύ.

[4]) Fick, l. l. p. 825.

[5]) Steph. Byz. s. v. Γάζα.

[6]) Fick, l. l. p. 218: Indidem μάρτυς nomen.

gicae ratio melius mihi videtur habita esse, quam in illa antiqui grammatici interpretatione. Aliam nuperrime Goebelius (Lexil. II, p. 342) huius nominis etymologiam proposuit, quae minus placet: vide l. l.

Dictynnae nomen, ad quod iam convertimur, fere omnes ad *δίκτυα* i. q. retia referendum esse censuerunt et poetae veteres, ut haec probarent, fabulam quandam si non invenerunt certo permutaverunt[1]). Tamen viri docti de ea re dubitabant: Deimlingius (de Leleg. p. 188) a verbo *δικεῖν* i. e. *βάλλειν* derivandum nomen esse eoque Lunam deam radios 'iactantem' significari censet, quae etymologia et grammaticae et mythologicae rationi nimis adversari videtur. Melior illa est, quam Pape (Lex. Gr. s. h. v.) proposuit deam a Dicte monte appellatam esse opinatus. Verum tamen in illa veterum sententia perseverare possumus, si Dictynnam propter deae statuam retibus circumligatam dictam esse probemus, quales olim exstitisse constat[2]). Namque a signorum specie saepe dis nomina indebantur, puta Lygodesma, Phacelitis, Orthia[3]). Cum vero in hac re verum explanare vix possimus, coniecturam ceteris addisse mihi satis est.

Neque in alio Dianae nomine explicando certam sententiam probare possumus, *Ὦπιν* vel *Οὖπιν* dico, quam vocem Callimacho auctore (h. in D. v. 204, sq.) Cretes quoque in usu habebant. Variae eius nominis explicationes publici iuris factae sunt. G. Hermannus (op. acad. VII, p. 306) 'noctis oculum' illo significari censet (rad. op- i. q. videre): O. Muellerus[4]) et Prellerus (Myth. Gr. I, p. 243) ethicam notionem suspicati sunt. Boetticherus[5]) ab exclamationibus,

---

[1]) P. II, 30, 3. Aristoph. Vesp. 368 sq.: *διατραγεῖν τοίνυν κράτιστόν ἐστί μοι τὸ δίκτυον, ἡ δέ μοι Δίκτυννα συγγνώμην ἔχοι τοῦ δικτύου.* cf. Hoeck, Kreta, II, p. 167.

[2]) P. VIII, 41, 6: *τῶν Φιγαλέων δὲ ἤκουσα ὡς χρυσαῖ τε τὸ ξόανον* (Dianae vel Eurynomae) *συνδέουσιν αἱ λύσεις.*

[3]) Welcker, Th. Gr. I, p. 584.

[4]) De Dor. I, p. 373: Es ist damit die beständige Aufsicht und Wacht der Gottheit über das menschliche Thun bezeichnet.

[5]) Ideen zur Kunstmyth. I, p. 51.

quibus dea invocabatur *οὔ οὔ* Upim nomen declinatum esse putat: Hartungius[1]) denique novam proposuit etymologiam aeque reiciendam. Nullam harum undique confirmatam habemus, quamobrem facere non possumus, quin veram nobis *Οὖπις* nominis notionem ignotam esse concedamus.

Ne de usu quidem vocabuli accuratius edocti sumus. Id nomen antiquissimum deae fuisse Guhlius (Ephesiacorum p. 80) existimat, quo Pelasgica dea appellata sit. Sane priscum aliquid in illo propterea videtur inesse, quod perdifficile ad explicandum est. Philochorus (apud Macrob. Sat. I, 10) auctor est Cecropem Saturno et Opi primum in Attica aram statuisse, si modo haec Opis nostra dea *Ὦπις* vel *Οὖπις* habenda est: neque enim cum Guhlio Romanorum deam Opem cum Graecorum Upi composuerim, praesertim cum primae syllabae vocales quantitate discrepent. Mirandum iure est, quod Upis nomen apud vetustiores scriptores nusquam legitur, usque ad Herodotum (IV, 35), qui illam cum Arge virgine ex Hyperboreis Delum venisse narrat. Nec tamen haec fabula de origine nominis certiores nos facit.

Iam quinque Dianae nominibus tractatis exponemus, quid *Ἑκάτης* nomen significet, quae si non eadem ac Diana, tamen simillima habenda est. Id quoque nomen multorum explicationibus tentatum est, donec etymologiae magistro novissimo Goebelio contigit, ut mea quidem sententia probabilem atque undique munitam explicationem proponeret. Valde in hac re erravit G. Hermannus (op. ac. VII, p. 297), qui ita ratiocinatur '*Ἑκάτη* ea dea est cuius ἕκητι quaeque fiunt', qua ratione etiam Lauerus (Syst. myth. Gr. p. 304 sq.) Hecatam interpretari conatur. Optima veterum etymologiarum illa est, quae nomen ad adverbium ἑκάς referendum esse docet[2]), quamquam emittendi verbum, quod ab his suppletur, in nomine videtur deesse. Tamen inest: radix enim statuenda est, ut Goebelius (Lexil. I, p. 54 sqq.) docuit, nomen *ἕκος i. e. *βέλος*, unde et *Ἕκατος* et *Ἑκάτη* et ἑκηβόλος et alia descendunt: nec iam emittendi verbum in nostro nomine

---

[1]) Myth. Gr. III, p. 158.

[2]) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 258. Schoemann, Op. ac. II, p. 229.

explicando desideratur. 'Ἑκάτη igitur 'Iaculatrix' est: sed in eo Goebelius vulgarem falsam sententiam secutus est, quod de Luna tanquam radiorum 'iaculatrice' cogitat. Immo tela diis ideo tributa esse videntur, quod nulla alia re deorum inevitabilem vim praecipue in repentinis mortibus vel morbis melius illustrare homines prisci potuerunt, quam telis, quibus instrumentis ipsi in interficiendis bestiis atque hominibus utebantur. Sic illa vis, quam in Hecata inesse Lauerus (p. 305) opinatur, cum dicat 'Was mich die Mythologie der Hekate lehrt, dass sie die furchtbare gewaltige, unheimliche Mondgöttin (?) ist, das muss auch in ihrem Namen liegen', hoc 'Ἑκάτης nomine scilicet recte explicato optime significatur.

Iam restat, ut de patria nominis disputemus. Cum etymon ex Graeco sermone deduxerimus, vel Graecia ipsa vel finitima regio patria sit necesse est. Vossius (Epist. myth. III, p. 190 sqq.), Welckerus (Th. Gr. I, p. 564), Prellerus (Myth. Gr. I, p. 257) Thraces primos Hecatam coluisse existimant, sed fabulosam illam Thracum gentem cum magna illa cognomino natione, quae posteriore aetate ad septentrionales Aegaei maris oras habitabat, falso confundunt. Itaque in hac re nihil certum statuere possumus: id tantum e nominis notione colligi posse censeo, illam gentem, quae Hecatam coleret, ferocem et bellicosam fuisse et, cum apud Homerum huius deae nusquam mentio facta sit, ab Ionibus eam primo cultam negandum esse.

Quae adhuc proposuismus Dianae nomina propria apud Graecos vulgata sunt: cognominibus, quibus nulli alii deae plura imponebantur[1]), suis quaeque locis explicabo. Tria autem alienarum dearum nomina, quae etiam ad Dianam pertinent, commemoranda esse puto. Primum Βενδῖς[2]) Thracicum nomen, quo lunaris dea appellabatur, cuius cultus Athenas importatus erat[3]), ad Dianam referebant, quippe cui

[1]) Πολυώνυμος Diana apellabatur velut ab Aristoph. Thesmoph. v. 320. Hymn. Orph. 36, v. 1, cf. Callim H. in D., v. 7.

[2]) Herod. IV, 33; V, 7. Hes. s. h. v. et. s. v. δίλογχον.

[3]) Xenoph. Hell. II, 4, 11. Plat. d. rep. I, p. 354 A. Hes. s. v. Βενδίδια.

simillima esset. Nominis interpretationem vix quisquam facere conabitur, cum Thracicam linguam, unde illud certe derivandum est, nesciamus.

Alterum nomen *'Αναΐτις* est, quo Lydi, Cappadoces, Armenii, Persae Dianae similem deam appellabant[1]: id quidem Semiticum non habeam, quod Stickelius (de Dianae Persicae monumento Graechwyliano, Jen. 1856) fecit, immo Windischmannum[2]) sequar, qui, cum in Zendavesta iam Anahita nominetur, Aricam nominis originem statuit, quae sententia etiam eo probatur, quod Armenicae inscriptiones[3]) permultae Anaïdis (sic) nomen exhibent. Significari vero hac voce dicitur 'pura, non maculata', quod epitheton ad sanctitatem deae omni humana macula carentis spectare videtur. Anaïtidis cultus, cum inde ab antiquissimis temporibus per totam fere Asiam vulgatus esset, Semitarum religione paulatim ita inquinatus est, ut Astartae Phoeniciae cultui fere par fieret[4]). Postea is cultus etiam Graecorum et Phrygum sacra caerimoniis Asiaticis infecit, quibus maxime Dianae Ephesiae cultum mutatum esse animadvertimus.

Ut Graecorum antiquam explanet religionem, E. Curtius (An. Boruss. tom. 36, p. 5) Assyriorum deas antiquissimas commemorat, Belît vel Mylittam, quae a Babyloniis, Istar, quae ab Assyriis, Nanam, quae in Elymaïde, Anuat, quae in meridiana Chaldaeae parte colebatur. Sed ab his numinibus ad explicandam Graecorum religionem minus argumenta arcessenda esse duco, neque mutuationem deorum statui opus est, cum etiam in orientis regionibus hominum de diis opiniones per longa temporum spatia commutatae castigataeque sint, ut sicuti apud Graecos ex diis naturalibus ethica numina evaserint.

Idem in Rheam Cybelam cadit, de cuius nomine quaedam his subiungam, cum nonnulla ex parte Dianae simillima

---

[1]) Tac. An. II, 62, cf. Movers d. Phoen. I, p. 626.

[2]) Die persische Anahita oder Anaitis, Abhandl. der philos.-philologischen Klasse der Kgl. Bayrischen Acad. d. Wiss. VIII, p. 85—128.

[3]) cf. Mordtmann, Zeitschr. der deutsch-morgenländischen Gesellschaft, XXVI, p. 633 sq.

[4]) cf. Herod. I, 131. Windischmann, l. l. p. 102 sq.

sit et quasdam huius antiquissimas proprietates indicare videatur [1]). Eadem vero ipsa Semitica Lydorum religione valde commutata est, id quod Attidis illa fabula in hanc religionem tralata optime comprobatur [2]). Sed haec peregrina dea non ita in Graecorum mythologiam et cultum irrepsisset, nisi similis et fere eadem ac nostra Graecorum dea antiquitus fuisset. Titanidum una Rhea habebatur sororque Dionae et Phoebae, quae numina a Diana antiquissima non diversa fuerunt [3]) et Rheae nomen apud Graecos in alius nominis fortasse Diones locum successisse videtur. Nomen iam ipsum neque idem ac *Γαῖα* significat et transpositione ex *ἔρα* confectum est [4]), neque ad radicem *ῥεv-* i. e. manare referendum esse censeo [5]), cum aliud sit manare, aliud fontem esse: nam tanquam fontem omnium deorum et hominum et rerum nomen interpretabantur. Immo Rheae nominis originem e Semitarum lingua derivandam esse arbitror, in qua רעה sociam vel amicam significat [6]). Talem vero deam nostram appellatam esse censeo, quod Croni i. e. Beli coniux habebatur.

Alterum vero nomen Cybele illius appositivum fuisse videtur, quod optime deae, quam Lydi a Phrygibus receperunt, convenit, cum idem notione sit atque *Ἀρτέμιδος* nomen, nempe ʻexcelsaʼ sc. dea. Haec interpretatio Hesychii loco firmatur, qui s. v. *Κύβελα* haec: *κύβελα, ὄρη Φρυγίας καὶ ἄντρα καὶ θάλαμοι.* Duae igitur notiones in radice כבל, quam substituimus, insunt eaedem, quas Latinum nomen ʻaltumʼ complectitur, nempe et ʻsummiʼ et ʻprofundi vel reconditiʼ (*ἄντρα καὶ θάλαμοι*). Sed illi notioni plus momenti

---

1) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 527 sq.

2) De Attidis fabula conferre licet Fr. Lenormant, Die Anfänge der Cultur. I. p. 249 sq.

3) cf. Phil. Bybl. fr. 2, 20 (C. Mueller, fr. hist. Gr. III, p. 568): *Κρόνῳ δὲ ἐγένοντο ἀπὸ Ἀστάρτης θυγατέρες ἑπτὰ Τιτανίδες ἢ Ἀρτέμιδες.* Welcker, Th. Gr. I, p. 148.

4) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 526.

5) Plat. Crat. p. 402 B. Et. M. s. h. v.

6) cf. Psalm. 45, v. 15.

tribuendum censeo[1]), cum notissima illa vox גבל in aliis Semiticis lingis 'montem' significet, quod nomen certe ex eadem radice declinatum est. Eandem fere notionem גבב radix exhibet, unde mihi eiusdem deae nominis altera forma Cybebe descendere videtur. Iam vero quaestio est, utrum illa voce montana deae natura (*Μήτηρ ὀρείη* plerumque appellabatur) an in universum dea 'excelsa vel sublimis' significetur. Quod cum Rhea Cybele non solum montium ac silvarum sed etiam civitatum et agriculturae fautrix habita sit, illam quam supra notavimus interpretationem probabiliorem esse censeo.

Caput II.

De Dianae natura antiquissima priorum mythologorum sententiae.

Dianae e nominum originibus et notionibus iure colligere possumus deae iam illis temporibus floruisse cultum, cum Indogermanae gentes Itali et Pelasgi, Graecorum proavi ex Asiaticis sedibus in Europam traicerent. Ab iis cultum esse deum summum et maximum Iovem i. e. Caelum (Sanscr. djaus) etymologica ratione edocti perquam certe novimus[2]). Id vero genus hominum, qui nondum firmis sedibus usi per terras vagabantur, praecipue venando et pascendo victum quaerere cogebantur. Itaque eorum salus ac divitiae in bestiarum pecorumque multitudine et terrarum imprimis pascuorum fertilitate posita erant, quae cum intellegerent sua opera effici non posse, numinum hanc esse potentiam censebant. Et feminea quidem vis in procreandi naturae facultate inesse illis videbatur, quare praeter illud Iovis masculinum numen alterum crediderunt esse Terrae, quae semina caeli imbribus iactata exciperet. Id numen in omni bestiarum hominumque procreatione pariter atque in plantis efficax esse cogitabant eiusque vim, quam in generationis

---

[1]) Aliter Preller, Myth. Gr. I, p. 529: Auch der Name *Κυβέλη*, woraus in Lydien *Κυβήβη* geworden ist, deutet auf die Höhlen und höhlenartigen Heiligthümer des Gebirges von Phrygien.

[2]) cf. Benfey, Orient und Occident, I, p. 49.

inexplicabili effectu cerni putabant, summopere mirabantur. Sic duo naturae divina principia distincta sunt, alterum caeli, alterum terrae, quorum hoc illo fere religiosius a pastoribus cultum est. Huius iam feminini numinis, quod posteriore aetate etiam 'Deorum mater' vel 'Magna mater' appellatum est, illud Dianae vel Ἀρτέμιδος nomen proprium fuisse mihi videtur, cum singulae illius virtutes in diversis Dianae formis servatae sint.

Apud Arcades quidem, qui regiones remotissimas incolebant agrorumque cultura minus usi plerumque venatores et pastores erant, Dianae eam priscam naturam cultumque inter omnes deos longe praestantem animadvertimus. Id certe innumerabilia Dianae in Arcadia templa, quorum Pausanias (l. VIII) aliique scriptores mentionem faciunt, indicant, praesertim cum in eisdem regionibus tria tantum Iunonis templa a Pausania (VIII 9, 3; 22, 2; 31, 9) nominentur, quae dea postea apud Graecos summum propter Iovem locum obtinuit. Nec tamen in sola Graecia apud Arcades naturalem illam indolem Diana conservavit, verum etiam in exterarum gentium fere omnium cultu sive publico sive privato illa in natura apparens deae vis praedicata est, quamquam poetae, quorum e carminibus Graecorum religionem restituere solemus, ethicam Dianae naturam multo maioribus laudibus extulerunt.

Cum vero haec de Dianae religionis origine sententia a vulgari longe distet, primum mythologorum priorum sententias, quas de deae natura statuerint, singulatim perstricturus sum.

Naturalem quandam vim divina specie indutam Dianae subesse mythologi fere omnes consentiunt. Fuit autem, qui naturam Dianae antiquissimam ethicam esse censeret: Stuhrii enim de Diana haec sunt verba (Allg. Gesch. der Religionsformen der heidnischen Völker II, p. 224): Ihr ganzes ursprüngliches Wesen zeigt, wie das ihres göttlichen Bruders Apollon, auf das Leben des Geistes hin und hat nur in späteren Zeiten auf das Naturleben übertragen werden können, in einem Bewusstsein, welches von dionysischer Sinnenlust ergriffen, völlig in orientalischer Anschauungsweise versunken war. Sed eius argumenta, quae in vulgari nominis inter-

pretatione et Dianae Apollinisque relatione posita sunt, partim iam a me tractata sunt, partim in proximo capite refellentur.

Sed ei quoque, qui naturalem Dianae indolem probant, multum inter se discrepant et ab illa, quam nos huius capitis initio proposuimus, sententia longe distant. Plerique enim Dianae naturam antiquissimam e lunae maiestatis adoratione profectam esse putant, in quorum numero gravissimi mythologiae auctores referendi sunt, imprimis Welckerus, qui complures Dianas discernendas esse his verbis edixit (Th. Gr. I, p. 560 sq.): Um unsäglicher Verwirrung und Unklarheit der Vorstellungen vorzubeugen, ist es, ganz wie bei Apollon, nöthig zu unterscheiden zwischen Artemis, nämlich der Zwillingsschwester des Apollon, und den vielen und unter sich verschiedenen Göttinnen, die unter demselben Namen einzeln für sich und ohne alle Beziehung auf Apollon verehrt wurden, und um so schärfer zu unterscheiden, je eifriger Cultus und Sprachgebrauch gewesen sind, sie zu vermischen. Paulo infra his subiungit: So gross immerhin durch die Namensvermischung der Unterschied zwischen der Homerischen Artemis und allen andern, die getrennt von Apollon für sich allein und zuerst wahrscheinlich unter einem andern Namen verehrt wurden, erscheint, so sind sie doch auch nach und nach durch Vermischung der Eigenschaften einander näher gebracht worden. Quorum hoc minime probari potest, quod Welckerus complures dissimiles deas eodem Artemidis nomine comprehendi posse censet. Graecae enim linguae in tanta vocabulorum multitudine perquam facile fuit vel plurima levissimaque discrimina significare, quare saepissime evenit, quod illi rei contrarium est, ut cognomina, quibus diversae unius numinis proprietates exprimerentur, in diversorum deorum significationes abirent. Etenim si nomen idem est, etiam natura una atque eadem sit necesse est nec si quibus locis in cultu barbaricae caerimoniae usurpabantur, quae adscitae erant, duplicem vel triplicem originem statuere cogimur. Quamquam Welckerus complures diversas Dianas, ut ita dicam, fuisse censet, tamen omnium principium Lunae numen fuisse putat, si recte verba intelleximus, quae in fine

§ 90, tom. I posuit: So fest und allgemein hatten gewisse Grundvorstellungen über die Natur der Hauptgötter und ihren Ursprung, wie hier nicht blos aller verschiedenen Artemiden, sondern auch der Zwillingsschwester des Apollon aus dem einen Mondkult sich im Andenken oder dunkel im Bewusstsein der Nation erhalten.

Eandem fere ac Welckerus sententiam tuetur Prellerus, qui ad Dianae nomen in appositionis loco haec addit (Myth. Gr. I, p. 237): Der allgemeine Name für verschiedene Gestalten der Mondgöttin, et Dianae naturam his verbis describit (p. 239): Es ist die (sc. Natur) einer nächtlichen Himmels- und Lichtgöttin, daher sie nicht allein mit Pfeil und Bogen, sondern auch mit der Fackel und mit dem Polos ausgestattet wurde. Plevius deinde in tertia editione eiusdem libri haec addidit: Ihr eigentliches Gebiet ist das idyllische Stillleben der freien Natur in Bergen und Gründen, in Quellen und Wiesen, in Wald und Busch, weil die Vegetation und vieles Andere in den südlichen Ländern in der frischen Nacht- und Morgenluft und unter den stillen Ergüssen des Mondlichts am besten gedeiht.

Tum Lauerus quoque ex eodem principio Dianae naturam profectam esse vult et tres naturalis deae provincias discernit hac ratione (System der gr. Myth. p. 288): a) Sie (die natürliche Artemis) ist Herrin des Mondes, b) (p. 291) Der Einfluss des Mondes auf die Witterung, sein Erscheinen in thauiger Nacht, sein Emporsteigen aus dem Meere und seine Wichtigkeit für die Schiffer machte Artemis zur Herrin des Wassers, c) (p. 292) . . . es ist die Mondgöttin aufgefasst nach ihrem vorwiegenden Einfluss auf das geschlechtliche Leben der Menschen und das Zeugen der Thierwelt und der Erde. Neque hanc neque illam Prelleri de principali Dianae natura sententiam probare possum, cum lunae et omnino siderum tanta apud Indogermanos religio nunquam fuerit, ut huius fere omnibus locis cultae deae originem inde descendisse putemus. Deinde universas Dianae proprietates e lunari natura derivari posse nego. Neque enim Laueri argumentationem (sub b et c) probabilem esse duco: certe quid rei *Ἄρτεμις λιμναία* vel *ποταμία* cum luna habeat nescio:

neque generationis praesidem simul lunae dominam esse necesse est, qua de re infra disputabo. Quod vero Dianam venatricem de Diana, quam credunt, lunae moderatrice exstitisse docent, huius rei quam debile sit argumentum, facile cuivis intellegere licet. Nam quod Diana sagittas arcumque gessisset, quae lunae symbola fuissent, ex eo illam venatricem et venationis praesidem evenisse colligunt (V. Lauer. l. l. p. 209). Equidem de religionis Graecae origine aliter sentio. Itaque Dianam lunarem deam antiquitus fuisse concedere non possum: tamen in ea lunare quiddam inerat. Luna enim symbolum noctis habebatur, nox vero et terra, quam divina procreandi facultate praeditam cogitabant ex veterum sententia non dissimiles erant, cum utraque Iovi i. e. caelo aeque opposita esse sinusque terrae semper tenebricosa quadam nocte opprimi videretur.

Denique Apollinis solarem naturam cum Dianae lunari conferre solent mythologi[1]) ut principalem utriusque numinis naturam alterius similitudine explicent. Sed Dianae formae ipsae, quae ad lunarem naturam propius quam ceterae accedunt, velut *Καλλίστη*, Arcadum dea, in fabulis nullo cognationis vinculo cum Apolline consociatae sunt. Itaque hanc deorum necessitudinem non ex antiquissima Graecorum religione, sed e poetarum ingenio profectam esse censeo.

Cum vero nonnulli bene intellexissent non omnes Dianae virtutes e lunari, quam ei attribuebant, derivari posse, plures principales Dianae naturas statuerunt, quae inter se differrent, id quod cum nomen unum fuerit iure fieri posse iam negavimus. Stollius (Pauly, Real-Encyclopädie s. v. Artemis) Graecam et Pelasgicam Dianam distinxit, quarum illa hominum et animalium tutrix fautrixque et Apollinis soror haberetur, haec ut lunae dea, quae agrorum fertilitati provideret, in Arcadia culta esset. Deinde Hartungius (Myth. Gr. III, p. 151 sqq.) Graecam Dianam, quam nympharum quasi reginam esse putat, a lunari dea alienam statuit: simul ex Asiatica religione Graecorum Dianam Amazonum vel Walcyrarum naturam induisse monet, qua in re certe Dianam

---

[1]) V. G. Hermann, Op. ac. VII, p. 285 sq. Laueri Syst., p. 255.

etiam bellicosa et perniciosa natura praeditam fuisse probandum est. Ne Deimlingii (de Leleg. p. 165 sqq.) sententiam praeteream, tres is facit Dianae formas originesque nempe Doricam, venatricem Apollinisque sororem, Arcadicam vel Pelasgicam i. e. fertilitatis praesidem, Lelegicam, quae eadem atque Helena sit. Denique O. Muellerum laudo, qui accuratissime singularum gentium Graecarum religiones exposuit[1]. Sed de diis gentium civitatumque eorumque peculiari cultu nihil certi statuere possumus, antequam communes, quam habuerint civitatum dii, origines explanaverimus. Communes vero omnibus Graecis fuisse quorundam deorum cultus inde apparet, quod ipsorum Indogermanorum communes quasdam de diis sententias fuisse notum est. Itaque Graecorum civitatum religiones plane inter se diversas fuisse putare vix possumus, cumque Diana apud omnes fere non solum privato sed etiam publico cultu honorata sit, omnes eius varias virtutes ne gentium quidem e varietate derivare possumus. Sed ad tales distributiones illi viri eo perducti sunt, quod aliis in regionibus alias deae virtutes coli et prae ceteris laudari videbant. Cum vero primariam deae naturam dirimere ineptum sit, id potius quaerendum erit, quomodo una illa primitiva natura ceterae omnes comprehendi possint. Sicuti enim radii solis prismate vitreo flectuntur et disperguntur, ut admirabiles colorum varietates existant, ita de diis sententiae apud eandem nationem pro regionum, quas singulae gentes occupaverunt, varietate immutantur et transformantur, ut aliis locis aliae virtutes prae ceteris colantur. Ac Dianae ipsius natura e regionum condicionibus inter omnia numina maxime dependebat, quippe cui terrae virtutes attribuerentur: quare hic ad silvas et montes, illic ad flumina planitiesque, passim etiam ad mare scopulosque in cultu et fabulis referebatur. Eadem de causa factum est, ut tot cognomina a locis petita Dianae imponerentur. Hac re iam nostram, quam supra statuimus, de Dianae natura sententiam confirmatam habemus, quo ipso indicio O. Muellerus usus primus rectam de primaria deae natura opinionem proposuit,

[1] De Diana verba facit in l., quem inscripsit: Die Dorier, I, p. 373 sqq.

cum diceret (l. l. p. 377 sq.): Es muss darnach etwas im Wesen der Gottheit gegeben sein, welches die vielfachen Localnamen hervorbrachte; man muss sie sich stets innerlich verbunden und zusammenhangend mit der Gegend gedacht haben, die sie bewohnte. Sie führt auf den Begriff einer Naturgöttin von ähnlichem, nur allgemeinerem Wesen, als die Nymphen der Berge, Flüsse, Bäche, daher ein einsichtsvoller Gelehrter die Idee der Göttin von dem Glauben an Nymphen abgeleitet hat (Mitscherlich, de Diana Sospita, Gott. 1821).

Sic iam principali Dianae natura explicata et distinctionibus priorum scriptorum refutatis ad Graecorum, quae de illa traditae sunt, sententias pergimus, qua in re primum de relationibus, quae inter Dianam et alios deos cogitabantur, dicendum nobis erit.

Caput III.

Quae cognatio vel necessitudo Dianae cum aliis diis fuerit.

Quasi de quovis homine, cuius parentes noverimus, sic de Diana rectius iudicabimus, cum eius originem et cognationem perspexerimus. Cum in decursu temporum genealogiae deorum mutatae sint, antiquissimas restituere, si ad describendam principalem deae naturam adhibere illas volumus, nos opus est.

Vulgo Graecorum poetae et scriptores Dianam Iovis et Latonae filiam Apollinisque sororem esse tradunt, quam genealogiam iam antiquissima aetate vulgatam fuisse negaverim. Nam cum Diana illa antiquissima eadem ac Dione Dodonaea fuerit, Iovis uxor, non filia habita sit necesse est. Primum quidem vel ex eo hoc colligi petest, quod quemadmodum Iupiter omnium rerum parens habebatur, sic vim terrae immanentem quasi femineam cogitabant, ex qua matre omnia procreentur. Itaque coniugium quoddam humanum in modum inter illos fuisse homines vetustissimi putabant, quale Iovis et Diones apud Pelasgos fuisse scimus. (cf. de Diona Welcker, Th. Gr. I, p. 352 sq.) Postea vero, cum deae aliae

Iovis uxores vulgo nominarentur, a poetis in Titanidum numerum Dione recepta est. Quod cum etiam Diana ipsa interdum Titanis appelletur[1]) et Hecatam Hesiodus (Theog. v. 421—25), quae dea Dianae omnes virtutes exhibet, sub Iovis imperio honores reservasse dicat *ὅσσους ἔλαχεν Τιτῆσι μετὰ προτέροισι θεοῖσιν*, Diones et Dianae similitudinem novo indicio probatam habemus. Denique quae Diones cum Latona, Dianae matre, necessitudo fuerit, inde apparet, quod hymno Hom. in Apoll. v. 93 illa cum aliis antiquissimis deabus nempe Rhea, Themide, Terra, Amphitrita ad Latonae partum accessisse dicitur.

Dianae olim ipsi cum Iove coniugium creditum fuisse praeterea e fabulis probare possumus. Solent enim gentes deos, quos maxime verentur, ipsarum originibus ita intexere, ut de illis suos principes et auctores prognatos esse putent. Sic Arcades ad Iovem et Dianam quasi parentes originem adnectebant, quae dea ibi *Καλλίστης* cognomine ornabatur[2]) Cum vero paulatim Dianae virginis religio etiam apud Arcades vulgaretur, illa Iovi nupta in nympharum ordinem delapsa et divinis honoribus privata est[3]). Iovis quoque nomen ex hac fabula heronis nomine supposito evanuit, nempe Actaeonis, qui filius Aristaei i. e. Iovis ipsius[4]) habebatur. Tunc a poetis, qui Dianae amorem canere verebantur, res ipsa ita commutata est, ut ab Actaeone Dianam in fonte lavantem conspectam quidem, minime violatam esse fingerent[5]). Sed restat illius fabulae indicium, quae Dianam revera Actaeoni i. e. Iovi non solum amicam sed etiam nuptam esse voluit, cum Stesichorus dixisse tradatur deam Actaeoni cervi pellem

[1]) Apud Philonem in Sanchuniathonis reliquiis (Mueller, fr. hist. Gr. III, p. 568) eaedem, quae *Τιτανίδες*, *'Αρτέμιδες* nominantur. cf. Hymn. Orph. 36, 2.

[2]) Eur. Hippol. v. 64. P. I, 29. 2; VIII, 35, 7. C. I. G. n. 4445. cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 242 sq.

[3]) Callisto denominata, Eur. Hel., v. 375 sq. P. VIII, 3, 6.

[4]) cf. Welzel, De Iove et Pane, dis Arcadicis, Vrat. 1879, p. 14 et 16.

[5]) Apollod. Bibl. III, 4, 4. Ov. Metam. III, v. 138—252. Hyg. Fab. 180 sq.

circumiecisse, ne Semelam in matrimonium duceret[1]. Dianae igitur invidiosa in Semelam aemulatio, quae vulgo Iunonis fuisse putabatur, antiquissimis temporibus adscribebatur: Prelleri vero huius fabulae explicationem (Myth. Gr. I, p. 375 sq.), quam ad locorum naturam is revocare conatur, minus probabilem esse censeo.

Tum Dianam, quae Iovis uxor sit, agnoscimus, si quae antiquissima amborum numinum signa composita fuisse memorantur. Quamquam in hac re e statuarum coniunctione nihil de deorum coniugio colligi posse opponi licet, tamen certum nobis videtur esse signorum coniunctione deorum ipsorum relationem quandam illustrari. Sicyone in foro Iovis et Dianae sine ulla arte facta signa erant[2]: illius cognomen *Μειλίχιος*, huius *Πατρῴα* erat. Signum vero Iovis pyramidis, Dianae columnae formam exhibebat, unde illorum summam vetustatem facile cognoveris. Cum hic Iupiter Milichius appelletur, etiam altare et lucum *Θεῶν Μειλιχίων*[3], qui Myoniae in oppidulo Doricae tetrapoli finitimum colebantur quamquam nomina singula non adduntur, ad eosdem deos referenda esse censeo, praesertim cum nocturna sacra eis facta sint, qualia Dianae nonnullis locis offerebantur. Iuxta Iovis solium Dianae statua Megalopoli erat[4], non ita vetusta, cum Cephisodoti et Xenophontis ars esset.

Denique Iovis et Dianae coniugium e Dictynnae Minoisque fabula derivare possumus[5]) Minoi enim antiquissimo Cretae regi ille, qui proprie Iovis Cretici fuerat amor tribuebatur. Britomartis ipsa, quae eadem ac Dictynna est, propterea Iovis filia esse dicta est eodem modo, quo postea a Graecis Diana Iovis filia nominata est. Fortasse etiam apud Stratonicenses Iupiter et Trivia i. e. Hecate coniuges habe-

---

[1]) P. IX, 2, 3: *Στησίχορος δὲ ὁ Ἱμεραῖος ἔγραψεν ἐλάφου περιβαλεῖν δέρμα Ἀκταίωνι τὴν θεόν, παρασκευάζουσάν οἱ τὸν ἐκ τῶν κυνῶν θάνατον, ἵνα δὴ μὴ γυναῖκα Σεμέλην λάβοι.*

[2]) P. II, 9, 6. cf. Gerhard, Prodromus myth. Kunsterklärung, p. 36 sq.

[3]) P. X, 38, 8.

[4]) P. VIII, 30, 10. cf. praeterea P. II, 22, 2.

[5]) P. II. 30, 3 sq. Hoeck, Kreta, II, p. 161.

bantur, quippe quorum nomina in tabulis coniuncta legantur [1]). Cum vero de hac re nihil certum explicari possit, argumento hoc uti dubito.

Cum iam Diana antiquissimis temporibus Iovis coniux ex hominum sententia esset, facile quispiam interroget, quomodo postea Iuno in illius locum successerit. Natura quidem Iunonis antiquissima eadem est, quae Dianae [2]), id quod cultus similitudine [3]) et signorum antiquissimorum aequalitate [4]) satis probatur. Sed multo rarior Iunonis quam Dianae cultus apud Graecos erat, quare eius originem singulis tantum gentibus adsciscere possumus quibusnam vero, accurate explicare longum neque huius loci est. Certe autem Dores *Ἥραν* praecipue colebant, cum menses de hac dea denominati apud Dores tantum essent, nempe Herasius Spartae, Delphis et in Creta Heraeus. De Homerica Iunonis et Dianae simultate, quam statuimus, infra (cap. IV) nobis dicendum erit.

Ceterum si quaeras, cur de Iovis et Dianae relatione prisca tam exigua relicta sint vestigia, causa mihi videtur fuisse, quod illis antiquissimis temporibus deorum personae nondum plane a natura secretae neque ad humanos mores aptatae erant. Postea vero cum de diis sententias quasi purgare et polire coepissent, imprimis in dea, quam maxime colebant, cui summam potentiam tribuebant, sanctitatem et castitatem praedicabant, unde evenit, ut ab illa naturali dea ipsa, quae tum Gaea vel Rhea appellata Poli vel Saturni coniux esset, haec separaretur, quae ex eo Iovis filia nominaretur. Gaea terrae ipsius nova personificatio est, quae postea in illa Cerere (*Δημήτηρ*) repetita est. Rheam vero Asiaticam nostrae deae formam esse iam docuimus [5]).

Quamquam vero dea poetarum generalogiis in minorem sc. aetate deorum gradum depressa est, tamen, cum in cultu

---

[1]) cf. Tac. An. III, 62. C. I. G. n. 2715, a. 2720.

[2]) **Welcker**, Myth. Gr. I, p. 362 sq. et II, p. 327.

[3]) **Boettiger**, Ideen zur Kunstmyth. II, p. 229 et 300. cf. **Welcker**, l. l. p. 368 cum P. III, 16, 8 sqq.

[4]) **Preller**, Myth. Gr. I, p. 138, not. 5.

[5]) cf. **Preller**, Myth. Gr. I, p. 47.

semper primas obtineret, in canticis solemnibus saepissime vocibus δέσποινα, ἄνασσα, βασίλεια ornabatur, quae etsi ab aliis deabus non alienae erant, in huius laude ex consuetudine fere semper adhibitae videntur. Δέσποινα exempli gratia Diana appellatur a Sophocle (El. v. 626) ab Euripide (Hippol. vv. 228, 1324, 1395), ἄνασσα ab eodem (Iph. Aul. vv. 1230, 1481, 1522 et hic quidem θεῶν ἄνασσα), ab Aristophane (Thesm. v. 971), in hymno Orphico (2 v. 6) et Callimacheo (in Dian. v. 204: Οὖπι ἄνασσα. Cf. Hes. s. v. Ὦπι ἄνασσα.); βασίλεια denique in hymno Orph. 36, vv. 1 et 11 παμβασίλεια, qua voce Iuno quoque appellabatur (Hym. Orph. 16 v. 2) et Nemesis (H. Orph. 61 v. 1); quo de cognomine etiam Herodotum (IV, 33) conferri licet, qui Thraces Dianae Reginae cultum habere tradit.

Apud Arcades saepissime et Ceres et Proserpina δέσποινα nominata est [1]), quas proprie a Diana non diversas fuisse iam inde apparet, quod cerva quaedam Despoenae sacra nominatur [2]). Aeschylus deinde cum Dianam Cereris filiam nominaverit [3]), eam Proserpinae in locum substituit. Pater quidem huius Despoenae, quae mysteriis prope Acacesium in Arcadia eximie colebatur, Neptunus fuisse traditur (l. l. 9): nomen vero proprium, quod Pausanias (VIII 36, 7) ad profanos prodere veretur non Iunonis, immo Dianae fuisse verisimillimum est, cum ibidem etiam Dianae Hegemonae aedes esset. Diana autem qua ratione ad Proserpinam pertineat, infra accuratius explicabitur. Ceterum iam Cicero (De nat. d. III 23, 58) cum inferorum regina Dianam conectit, cum eam Iovis et Proserpinae filiam haberi dicat 'quae pinnatum Cupidinem genuisse dicitur' (cf. l. l. § 60). Certe praecedente hac disputatione manifestum fit deorum apud Graecos genealogias valde incertas fuisse, quare non mirum est, quod de Dianae antiquissima ad Iovem relatione nihil litteris traditum est, praesertim cum vetustae sententiae, nisi poetarum fabulis obscuratae tamen plerumque in mysteriorum religione occultatae sint.

[1]) P. VIII, 35, 2; 37, 1—10.
[2]) P. VIII, 10, 10.
[3]) P. VIII, 37, 6 et adn. Siebelis.

Dianae mater a poetis omnium fere temporum summis laudibus ornata vocitatur Latona, de qua hinc breviter disseram. Eius quidem nomen non ad rad. λαθ- referendum esse duco, cum litterarum ϑ et τ differentia neglegi non possit, Schweizeri[1]) vero opinionem probem, qui e rad. las- i. e. amare nomen descendisse putat. Λητώ igitur 'amicam' sc. Iovis significare censeo, quam eandem notionem in Rheae nomine inesse supra demonstravimus. Latona iam filiae simillima apparet, ut par dearum efficiant, quale Ceres et Proserpina. Neque enim raro matres et filiae in mythologicis rebus eadem natura sunt vel easdem virtutes praebent vel eidem viro nuptae esse perhibentur. Ceterum nominis significatio, quam statuimus, optime adiectivis ornantibus probari potest, cum ad pulchritudinem, quae in amica maxime laudari solet, fere omnia pertineant. Sic ornatur ab Homero his: ἠύκομος (Α 36, Τ 413, λ 318), καλλιπλόκαμος (h. in Ap. Del. 101), καλλιπάρῃος (Ω 607), ἐρικύδης (Ξ 327), Διὸς κυδρὴ παράκοιτις (λ 580), ab Hesiodo κυανόπεπλος, a Pindaro λιπαροπλόκαμος (fr. 58 Boeckh) βαθύζωνος (fr. 59), χρυσαλάκατος (fr. 116), κλυτά (fr. 82), ab Aristophane χρυσῶπις (Thesm. v. 32). His quidem rebus Welckeri opinio confirmari videtur (Th. Gr. I, p. 239): Leto (und Maia) sind nie Naturgöttinnen gewesen, sind auch nicht schon früher vorhandene, auch nicht in die Sprache übergegangene Namen, sondern eigens ausgedacht worden, um die genannten Götter von Zeus abzuleiten, indem man das von Gott und Erde hergebrachte unaustilgbare Bild der Ehe oder Zeugung beibehielt. Sed tamen huic argumentationi non assentior, cum tales nominum fictiones antiquissima aetate vix statuendae sint. Immo alicubi terrarum quondam Latonam cultam esse verisimilius est[2]). Mythologi vero antiquissimi nempe poetae ideo deam fabulis inseruisse videntur, quod Latonae nomen ad tenebricosam noctem pertinere censebant; noctem enim esse pa-

[1]) Kuhn, Zeitschr. f. vergl. Sprachf., II, p. 68. Vanicek, Gr.-lat. etymol. Wörterb. p. 770 et not. 7. E. M. s. v. Λητώ. cf. Plat. Crat. 406 A: Λητὼ δὲ ἀπὸ τῆς πρᾳότητος της θεοῦ, κατὰ τὸ ἐθελήμονα εἶναι, ων αν τις δέηται.

[2]) Preller, Myth. Gr. I, p. 190 sq.

rentem lunaris solarisque splendoris, in quo Diana et Apollo quasi residentes se praeberent, poetico finxerunt ingenio. Itaque Asteria, nox stellis ornata, Latonae soror habebatur[1]). Vel Nox dea ipsa Dianae nominabatur mater[2]), cuius de natura, cum a Diana quae terrae noctisque domina est, non aliena esset, symbolum in Dianam tralatum est lunae signum. Diana enim posteriore tempore in luna quasi praesens dea habebatur, non quia e principio illius natura lunae vi et maiestate continebatur, sed quod luna quasi noctis signum vel noctis moderatrix est: nox vero aeque ac terra naturae totius genitalem vim comprehendere putabatur, cum omnia, quae creantur, caligine primo obruta sint.

Posteaquam de Iovo et Latona verba fecimus, ad fratrem qui perhibetur Dianae Apollinem convertamur. Quaestio est difficillima, unde Dianae Apollinisque necessitudo orta sit. Primum quidem constat permultos exstitisse apud Graecos cultus utriusque numinis, ubi alterius nulla ratio haberetur[3]). Itaque separatim deos accipiendos esse censeo, neque alteram alterius quasi imaginem praebere arbitror, id quod O. Muellero (d. Dor. I, p. 375) placuit. Cui difficile quidem erat, cum Dianam ex Apollinis natura sola explicare conatus esset, causam requirere, cur femina Apollini in muneribus quasi adjutrice opus esset ac cur Diana virili quodam habitu et moribus esset instructa. Deinde utriusque numinis naturam e naturali in ethicam notionem Graecorum ingenio paulatim transformatam esse pro certo habemus, cum in Apolline Genetore Carneo, Nomio[4]) aliis naturalem illam vim sine dubio reperiamus. Huius vero quae sit principalis natura, dubium est. Plerique solarem naturam ei tribuerunt[5]), quam quidem ex omni parte probare non possumus. Immo in eo genitalis quaedam vis videtur inesse et ea quidem, quae sexus virilis est, quare etiam *Θοράτης* vel *Θόρναξ* vel

[1]) Ibid. p. 41.

[2]) Paus. X, 38, 6. cf. Creuzer, Symbol., II, p. 185.

[3]) Welcker, Theol. Gr. I, p. 457 sq.

[4]) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 215 sq., qui quidem Apollinis naturam minime perspexit.

[5]) Welcker, l. l. I, p. 457 sq. Preller, l. l. I, p. 188.

Θοραῖος nominabatur et puerorum fautor habebatur[1]. Itaque Apollo quodam modo cum Genio, quem Itali colebant, comparari potest[2]. Quemadmodum hic Genius etiam Iovialis dicitur, sic Apollo primitus Iovis filius est i. e. caeli genitalis vis, quae maxime solis potentia illustratur: sole enim fruges maturantur. Sic duo naturae principia discernuntur, alterum maris, alterum feminae, quae inter se opponuntur modo quasi conjuges, modo quasi frater et soror. Itaque vulgo Apollo Dianae frater putabatur, verum etiam conjuges habebantur[3], qua de re C. F. Hermannus disputat in recensione libelli, quem Braunius de Diana Hymnia (Romae 1842) scripsit (Göttinger Gelehrte Anzeigen 1843 p. 1252): 'Weit eher können wir, inquit Hermannus, hinsichtlich des Gesammtresultates mit Herrn Braun übereinstimmen, so paradox es auch den meisten unsrer Leser vorkommen dürfte, wenn wir ihnen sagen, dass es sich hier um nichts Geringeres handelt, als aus Apoll und seiner jungfräulichen Schwester Artemis ein ähnliches eheliches Paar zu machen, wie es Herr Braun . . . mit Herakles und Pallas Athene gethan hat' et paulo post (p. 1153): Im Grunde betrachtet aber bilden auch jene nur die beiden Seiten eines dualistischen Princips, das, je nachdem seine Bestandtheile in Cultus und Poesie materialistischer oder spiritueller aufgefasst werden, eben so wohl als eheliches, wie als geschwisterliches dargestellt werden konnte.' Itaque solem Apollinis principalem provinciam esse negamus aeque ac Dianae lunam.

Dianae vero antiquissimam naturam sine ulla Apollinis comparatione explicari posse iis, quae sequentur, apparebit. Virtutes inter se non mutuabantur, sed per se utrumque numen omnes, quas exhibebat, potestates assecutum est. E Genio Iovis Apollo quasi prophetes vel vates Iovis factus est et Diana apud poetas, qui deam virginem castitate prae-

---

1) Welcker, l. l. I, p. 487.

2) cf. Varronis apud Augustin. d. civ. d. VII, 13: qui praepositus est ac vim habet omnium rerum gignendarum. Preller, Myth. Rom., p. 67.

3) Eustath. ad Il. XX 70, p. 1197: *καθ' Ὅμηρον μὲν κασιγνήτη Ἀπόλλωνος ἡ Ἄρτεμις, κατά τινας δὲ φυσικωτέρους γυνή.* cf. P. X, 12, 2.

claram et venatricem celeritate eximiam praedicabant, ethicam recepit notionem, in cultu vero naturalem diutius conservabat. Singularem apud Homerum praebet Diana naturam, quare de Homeri ad deam pertinentibus locis disceptatione opus est.

Caput IV.

De Homerica Diana.

Discrimen haud neglegendum inter Iliadis et Odyssae verba ad Dianam spectantia subsistere videtur, quod nondum satis cognitum est. Id iam maxime in formulis quibusdam adiectivisque nominibus ita apparet, ut facile illis temporibus de Diana sententias commutatas esse intellegas. Diana in Iliade nusquam *ἁγνή* appellatur, quod adiectivum eidem nomini appositum in Odyssea ter legitur ε 123, σ 202, υ 71[1]), neque verba *οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν* in priore opere inveniuntur, quae in Odyssea legas ε 124, λ 173, 199, ο 411, quibus locis similem addere possumus, σ 202, ubi sunt: *μαλακὸν θάνατον πόροι Ἄρτεμις ἁγνή.* Deinde duo epitheta ornantia in Odyssea tantum Dianae tribuuntur, nempe *ἐϋπλόκαμος* υ 80, et *ἐΰσκοπος* λ 198[2]). Contra respice, quae nomina in Iliade Dianae attributa in Odyssea n o n legantur. Ibi ter *κελαδεινή* habes Π 185, Υ 70, Φ 511 et hoc quidem versu nomen proprium plane omissum est.. In duobus autem prioribus locis praepositum est *χρυσηλάκατος*, quod in Odyssea semel usurpatur δ 122[3]). Iliadis denique sunt propria sed semel tantum Dianae tribuuntur *ἀγροτέρα* Φ 471, *ἐϋστέφανος* Φ 511, *χρυσήνιος* Ζ 205[4]). Duas si has adiectivorum series comparas, omnino contrariae notionis esse ea, quae in Iliade atque ea quae in Odyssea usurpantur facile agnoscas. Illic tumultuosa et agrestis appellatur (epitheta ornantia hic mitto velut

---

[1]) cf. C. I. G. 1051. Aristoph. Thesm. v. 971.

[2]) Callim. h. i. Dian. v. 190.

[3]) *Χρυσηλάκατος* aurea colo instructum significare mihi quidem videtur, qua de re Parcarum Dianam similem fuisse nobis persuadetur, cum aliter colus ad Dianam referri non possit.

[4]) De notione vocabuli conferas Goebel. Lex. II, p. 32 sqq.

ἐΰστέφανος, χρυσήνιος), hic vero sancta vel virgo, mitiaque tela ei tribuuntur. Sententiae igitur de dea nostra illa aetate, quae inter Iliadis et Odysseae originem intererat, valde mutatae et mitigatae quidem sunt, quamquam officia deae eadem manserunt. In utroque enim carmine et bestiarum fautrix et optima venatrix est, cf. *E* 51 sq. *Φ* 470[1]), 485 sq. — ζ 104 (τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισιν), deinde et in Iliade et in Odyssea repentina morte necandi potestas Dianae tribuitur: Z 205 (τὴν δὲ (sc. Laodameam) χολωσαμένη χρυσήνιος Ἄρτεμις ἔκτα) 428 (πατρὸς δ' ἐν μεγάροισι βάλ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα) *Φ* 484 (καὶ ἔδωκε (sc. Iupiter) κατακτάμεν ἥν κ' ἐθέλῃσθα). *Ω* 606 (τὰς δ' (sc. Niobae filias) Ἄρτεμις ἰοχέαιρα sc. πέφνεν ἀπ' ἀργυρέοιο βίοιο) — ε, 123 sq. (ἕως μιν (sc. Orionem) ἐν Ὀρτυγίῃ χρυσόθρονος Ἄρτεμις ἁγνὴ | οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχομένη κατέπεφνεν), λ 173, 199, 325 ubi idem alter versus repetitur, ο 411 iterum, 478: (τὴν μὲν ἔπειτα γυναῖκα βάλ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα) σ 202 (αἴθε μοι ὣς μαλακὸν θάνατον πόροι Ἄρτεμις ἁγνὴ | αὐτίκα νῦν) υ 62 sq. Ἄρτεμι, πότνα θεά, θύγατερ Διός, αἴθε μοι ἤδη | ἰὸν ἐνὶ στήθεσσι βαλοῦσ' ἐκ θυμὸν ἕλοιο | αὐτίκα νῦν) ibid. 80 (ἠέ μ' ἐϋπλόκαμος βάλοι Ἄρτεμις). Sed discrimen verborum quae in Iliade et quae in Odyssea de eodem officio usurpantur, supra iam notatum est: illic mors Dianae sagittis hominibus immissa poena quaedam irascentis deae videtur esse, hic vero quasi doloris lenimentum repentinam illam mortem feminae vel appetunt. Illi quoque formidolosae deae optime attributum convenit ἰοχέαιρα 'sagittas fundens', quod in Iliade octies (*E* 53, 447, *I* 538, *Z* 428, *Υ* 39, 71, *Φ* 480[2]), *Ω* 478) in Odyssea tantum quater extat (ζ 102, λ 172, 198, ο 478[3]). Commune quoque utriusque carminis epitheton χρυσόθρονος est (*I* 533, ε 123)[4]). Denique in Dianae genealogia duo epe consentiunt: Iovis filiam habes: *I* 536 Διὸς κούρη μεγάλοιο, (538 δῖον γένος), *Φ* 506 et ζ 151,

[1]) πότνια θηρῶν. cf. υ. 61: πότνα θεά.

[2]) Hoc quidem loco sine nomine proprio. cf. λ 198. cf. Pind. Pyth. 2, 9. C. I. G. 6280 *B*, 1064 εἰοχέαιρα.

[3]) cf. *Φ* 483 τοξοφόρῳ περ ἐούσῃ. C. I. G. 1051. Aristoph. Thesm. 970

[4]) Εὔθρονος C. I. G. 6280 *B*.

υ 61. Latonae filiam vel Apollinis sororem: *E* 447, *Υ* 71 (cf. 39), *Φ* 479, 504, *Ω* 605 sq. — *ο* 411, *ζ* 106.

Accuratiore iam vero disputatione de versibus *Φ* 481—88 opus est, quibus Dianae officia praecipua inter se opponuntur. Homerus enim Iunonem facit in theomachia gravissime in Dianam insultantem:

Πῶς δὲ σὺ νῦν μέμονας, κύον ἀδδεὲς, ἀντί' ἐμεῖο
στήσεσθαι; χαλεπή τοι ἐγὼ μένος ἀντιφέρεσθαι,
τοξοφόρῳ περ ἐούσῃ, ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶν
Ζεὺς θῆκεν, καὶ ἔδωκε κατακτάμεν ἥν κ' ἐθέλῃσθα.

Dianae igitur summa in omnes feminas pertinens vis tribuitur a Iove ipso concessa et perniciosa quidem, cum antiquissimo sermone Homerus usus leaenam eam quasi in feminas esse factam dicat. In versibus autem qui sequuntur, *ἤτοι βέλτερόν ἐστι κατ' οὔρεα θῆρας ἐναίρειν ἀγροτέρας τ' ἐλάφους ἢ κρείσσοσιν ἶφι μάχεσθαι* Dianae venatio commendatur, quae postea ab omnibus poetis quasi eius summa ars ac voluptas describitur. Sic Homerus Dianae illam perniciosam naturam quamquam haud denegat, probare non videtur, hanc vero venatoriam laudat, quippe quae Dianae aptior sit. Cum vero notum sit Graecorum de diis sententias plerumque ab Homero formatas esse, etiam hanc Dianae laudem primo ab eo dictam esse verisimile est. Ab Homeri igitur temporibus naturalis Dianae notio in dies magis evanuit, qua in re Iunonis cultus paulatim efflorescens magni erat momenti. Iunonem enim Dianae in locum successisse supra demonstravimus. Itaque haud inconsulto Homerus illa verba Iunoni attribuisse mihi videtur, cum in theomachia describenda Dianae alius dei opponendi occasio data esset. Neque si religionis historiam respicias, parvi aestimabis sequentia verba v. 487: *εἰ δ' ἐθέλεις πολέμοιο δαήμεναι, ὄφρ' εὖ εἰδῇς, ὅσσον φερτέρη εἴμ', ὅτι μοι μένος ἀντιφερίζεις*, quibus haec de Iunonis dominatione sententia clare pronuntiatur.

Denique in Homero observare licet nullo loco Dianae virginitatem copiosis verbis laudari, quamquam in Odyssea ter *ἁγνή* dicitur eiusque nobilissimus habitus et formosissimus accurate describitur *ζ* 102—108, ubi castitatis quoque laudandae occasio erat, cum ipso versu insequenti (v. 109)

παρθένος ἀδμής dicta sit Nausicaa, quae cum Diana ibi comparatur. Sed feminae quoque, quae iam dudum coniuges et matres perhibebantur, cum Diana ab Homero comparantur, nempe Helena (δ 112) et Penelope (ρ 37). Itaque quivis facile intelleget, quam falso Gladstonius (Homerische Studien, deutsch bearbeitet von Schuster p. 168 sq.) iudicaverit, cum dixerit in Diana quasi sanctitatis et castitatis ideam apud Homerum repraesentari.

Attamen in hymnis Homericis has 'virginis' laudes iam invenimus, cf. hymn. in Dian. X, 2: παρθένον αἰδοίην, XVI v. 2: παρθένον ἰοχέαιραν, h. in Ven. (IV) 16: οὐδὲ ποτ' Ἄρτέμιδα χρυσηλάκατον κελαδεινὴν δάμναται ἐν φιλότητι φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη. Ex illo igitur post Homerum tempore, quo hymni componebantur, laudes virginis Dianae coeptae sunt frequentari.

In appendice huius capitis de Hesiodi quoque loco, quem saepe laudabimus, sententiam nostram proponere liceat. Versus 411—452 Theogoniae hymnum in Hecatam continent: qui cum ab omni huius carminis ratione abhorreat, viri docti de illis versibus iam multa coniecerunt atque adnotaverunt[1]). Recte Schoemannus in summatione de Hecate Hesiodea fatendum esse dicit (l. l. p. 249) 'hanc theogonicam Hecaten ab omnibus, quae aliunde nobis vel de publicis religionibus vel de mysteriis huius deae innotuerunt, multis modis discrepare et theogoniae plane propriam esse videri'. Sed eaedem virtutes, quae ibi in Hecata laudantur, Dianae propriae videntur antiquissimae esse, quales infra singulis locis explicabimus. Itaque primitivam similitudinem dearum probem et posteriorum dissimilitudinem primitus deas iisdem beneficiis instructas paulatim diversas virtutes prae se ferentes evasisse arbitratus. Vel apud Aeschylum Diana ipsa Ἑκάτης cognomen exhibet[2]). Alias dearum relationes, quibus Dianam et Hecatam unam quondam deam

[1]) Ed. Gerhard, Zeitschr. f. Altherthumsw., X, 1852, p. 97—111, Schoemann, Op. Ac. II, p. 215—249.

[2]) Supplic. 676: Ἄρτεμιν δ' Ἑκάταν γυναικῶν λόχους ἐφορεύειν. cf. Schoemann, l. l. p. 237.

fuisse declaratur, mittere possumus, cum Schoemannus locos ad hanc rem attinentes congesserit (p. 327 sqq.), quamquam rectam conclusionem non fecit. Etiam Prellerus (Myth. Gr. I, p. 256 sqq.) de Hecate disputationem cum Diana coniunxit. Itaque non inepte: me facturum censeo, si in disputatione de Dianae antiquissima natura etiam Hecatae et Hesiodei illius hymni rationem habuerim. Iure Welckerus (Th. Gr. I, p. 565 sq.) adnotavit scholiastae (ad Theog. v. 411) opinionem non respuendam esse propterea ab Hesiodo Hecatam ita praedicatam esse, quod in Boeotia praecipue coleretur. Nam etiam posteriore aetate Diana vel Hecate, praecipue ea, quae Ilithyia cognominabatur, in Boeotorum cultu erat[1]).

Caput V.

De homicidiis in Dianae cultu usitatis.

Superiore capite Dianae naturam, qualis in Homeri carminibus describatur, contemplati sumus, hoc iam de antiquissima Dianae religione, qualem in cultu caerimoniisque agnoscamus, scripturi sumus, qua in re imprimis de hominum mactationibus dicendum nobis erit. Crudelissimo hoc more antiquissimae nationes deos venerari solebant. Quodcum in ipsius Dianae cultu illius moris vestigia deprehendi vel e fabulis colligi possint, de summa antiquitate Dianae cultus optimum habemus indicium. Homines ad deos placandos mactare omnium Indogermanorum commune videtur fuisse, cum etiam apud Germanos, Italos, Indos hunc morem primitus usitatum inveniamus. Itaque apud Graecos quoque, si antiquissima illa vestigia respiciamus, a patribus traditam fuisse hominum sacrificationem neque a barbaris receptam

---

[1]) cf. C. I. G. 1595, 1596, 1597, 1598. Hecate κουροτρόφος Schoemann II, p. 234. Eandem deam fictiles illae figurae significare videntur, quae in Boeotiae pagis nuper inventae in Berolinensi museo et alibi conservantur.

verisimile est, qua de re nonnulli dubitaverunt[1]). Postea autem a mitigato Graecorum ingenio hoc priscae religionis institutum ita abhorrebat, ut caedes iam non perpetrarent sed caerimonias tantum velut flagellationem et consecrationem hominum retinerent.

Primum quidem multorum auctorum testimoniis[2]) traditur Dianae Orthiae a Spartanis ante Lycurgum juvenes immolatos esse: postea vero ritum ita mutatum esse, ut puberes flagellis caesi deae signum cruore adspergerent. Dianam enim de comminutis sacris minus indignaturam esse censebant, si eodem modo quo antea Dianae antiquissimam statuam cruore madidassent. Deinde in Brauroniae Dianae cultu homicidia primo adhibita esse Suchierus (de Diana Brauronia, Marb. 1847 p. 24 et 33) probavit, qui idem haec immania sacrificia a barbaris adscita esse recte negavit. Atque illo quidem loco puellas olim mactatas esse ex caerimonia, quae *ἀρκτεία* nominabatur, colligere possumus. Non procul a Braurone altera deae huius antiquissimae aedes erat, Halis Araphenidibus, ubi Dianae postea Tauropolae cognominatae cultum fuisse Euripides (Iphig. Taur. v. 1450—1467) nos docet. Vir ibi aliquis gladio ad cervices admoto cruorem emittere cogebatur, quem morem in homicidii locum successisse apparet. Tum Dianae Munichiae cultus antiquissimo tempore virginis immolatione polluebatur, cuius in locum postea capra vestibus in virginalem habitum induta immolabatur[3]) Memoria dignus est Achaeorum cultus, quem olim Patris fuisse Pausanias[4]) describit: quotannis enim virginem et puerum, qui forma essent elegantissimi, Dianae mactabant cognomine Triclariae. Eurypylus vero quidam, qui Dionysi sacra cum signo dei antiquissimo attulerat, illa Dianae finivit sacra. Ceterum illam a Pausania traditam fabulam, qua hominum immolationis originem explicare cona-

---

[1]) Voss, Antisymbolic II, p. 452. Schoemann, Antiq. Gr. II, p. 255. Boettiger, Kunstmythol. I, p. 155.

[2]) Paus. III, 16, 7. Xenoph. Lac. II, 9. Plut. Lycurg. 18. Cic. Tusc. II, 14, 34.

[3]) Paroem. Gr. I, p. 402. cf. Suchier, l. l. p. 47.

[4]) VII, 19. cf. E. Curtius, Peloponnes. I, p. 445 sq., p. 455.

bantur, aliquantum priscae religionis continere arbitror. Sacerdos enim Comaetho, quae cum Melanippo, iuvene formosissimo, in ipsius templi adyto stuprum fecisse traditur, deae antiquissimae forma abalienata videtur esse: nomen quidem *κομαιθώ* cum Dianae cognomine *Αἰθοπία* conferri potest. Sub illo vero Melanippo iuvene Jupiter mea quidem sententia latet, cujus cognomen *Ἀμείλιχος*, quod supra iam laudavimus, hic ad fluvium praeterfluentem tralatum est. (Cf. P. l. l. § 2) Itaque hac fabula illam quam de Iovis et Dianae coniugio proposuimus opinionem novo argumento probatam videmus.

Denique Rhodiorum cultus mentionem facio, quem non Semiticum existimem[1]), cum Graeco, quem modo descripsi, similis appareat. Croniis hominem posteriore aetate capite condemnatum immolabant, posteaquam eum ad aedem Aristobulae duxerunt. Aristobule autem Dianae cognomen erat et Athenis et Rhodi[2]). Vides denuo Dianae et Iovis (*Κρόνος* enim Iovis antiquior forma est) in sacris communionem.

Praeterea argumenta talium homicidiorum e fabulis, quippe quarum involucris res gestae saepe reconditae sint, colligere possumus. Quae de Iphigenia et Medea fabulae narrabantur, maxime respiciendae videntur. Prior quidem satis nota et recte explicata est[3]). Itaque in hac re diutius commoremur non necesse est; ipsa enim Iphigeniae caede ad Dianam placandam Aulide confecta satis indicatur olim in Dianae sacris hominum mactationes usitatas fuisse. Puellas vero imprimis Dianae ideo immolatas esse constat, quod dea ipsa ad puellarum et mulierum salutem plurimum valere putabatur. At Taurorum cultus, qui postea cum Graecorum de Iphigenia fabulis confusus est plane aliam exhibet rationem. Neque enim in illa Taurica Chersoneso puellae numinis piandi causa certis quibusdam diebus festis sacrificabantur, sed si qui peregrini ad oram appulissent, eos trucidare con-

[1]) Ita Schoemannus Antiq. Gr. II, p. 466.

[2]) Plut. Themist. c. 22. Porphyr. de abstin. 2, 54.

[3]) Optime de hac re disseruit Koechly in praefat. ad Eurip. Iph. Taur. p. 6—23.

sueverunt Scythae. Qui cum eandem deam colere viderentur, quam Graeci, postea Iphigeniam e Taurica Chersoneso signum ac cultum Dianae attulisse fabulabantur[1]).

Iam vero fabulis ad Medeam pertinentibus antiquum Dianae cultum crudelissimum significari censeo, qui Corinthi quondam floruerit. Medea enim Dianae vel Hecatae maximam similitudinem prae se fert, quare Preller (Myth. Gr. II, p. 318 sqq.) eam lunarem deam esse putavit. Nomen ipsum Medea 'cogitantem' significat (a rad. *μήδεσθαι* i. e. *βουλεύεσθαι* vel *μηχανᾶσθαι*), cuius simile illud Aristobulae nomen est. Deinde Corinthios ex Iolco Medeam in regnum vocasse Pausanias[2]) tradit, quam fabulam inde ortam esse arbitror, quod Medea *βασίλεια* cognominata quondam fuerit, quod cognomen Dianae aliquoties iam notavimus. Tum a Iove Medeam amatam esse narrabant, quem quidem amorem Medeam aspernatam esse, cum Iunonis maiestatem vereretur. Hac fabula illam Iovis et Dianae relationem significari apparet.

Cum vero etiam Medea in sacerdotis personam, uti Iphigenia, redacta esset, filios quos in lucem edidisset, in Iunonis templo occultasse dicebatur 'quod nempe immortales futuros sibi persuaserat'. (P. l. l. 11.) Altera fabulae forma erat, qua Medeae liberos a Corinthiis lapidibus obruti dicebantur[3]): tertia denique, qua Medea ipsa, i. e. Dianae sacerdos liberos mactavisse[4]), de qua Preller adnotat 'Eine Ueberlieferung, welche für noch alterthümlicher gelten darf als die von dem Tode der Kinder durch die Korinthier'. Una quaeque harum narrationum aliquid veri continere videtur; summa vero omnium ea est, ut liberos Corinthi in deae formidolosae honorem immolatos esse indicetur[5]). Dea autem, cui mactabantur liberi, a Diana vel Hecata, quod quidem e Medeae natura colligas, non aliena fuerit necesse est, quam-

[1]) cf. Suchier, l. l. p. 63.

[2]) II, 3, 10. In eius aedem aeque atque in deorum matris templa introitum viris non licuisse Macrobius (Sat. I, 12, 26) tradit.

[3]) P II, 3, 6.

[4]) Eurip. Med. 1136 sq.

[5]) cf. Schoemann, Antiq. Gr. II, 515 sq.

quam postea Iuno in eius locum supposita est, id quod non sine oppidanorum tumultu ac seditione factum esse videtur. Nam Medea Corintho Thebas[1]) vel Athenas[2]) et postea ad ipsos Medos fugisse fertur, qua quidem re aeque atque illa de Argonautarum expeditione fabula satis declarari mihi videtur Graecis antiquissimae ipsorum religionis originem cum orientalibus quibusdam nationibus communem se habere quondam notum fuisse.

Iam vero si causam respicimus harum immolationum, animi humani imbecillitatem primo arguere possumus, qui contra deorum maiestatem ac voluntatem nihil se valere intellexerit. Propterea enim homines sua sponte optima quaque et carissima re diis dedicata vel ipsorum liberis immolatis poenam vitare conabantur, quae iis debita et morbis aliisve adversis rebus missa videbatur. Cum vero homines artibus litterisque eruditiores facti essent, deos illo puerili metu colere desierunt. Maiorem enim deorum clementiae fiduciam nacti[3]) et cum cruentarum victimarum illos non cupidos esse sibi persuasissent cultum paulatim ad mitigatos mores adaptaverunt. Cum vero memoriam illarum rerum conservassent, causas singulares, quibus illa facinora excusarent, finxerunt, quibus fidem nimiam tribuere falsum est[4]).

---

[1]) Diod. 4, 54 sq.
[2]) Ovid. Metam. VII, 350 sq.
[3]) Ex Ameilicho Meilichus factus est.
[4]) Puta P. II, 3, 7.

Altera pars.

Caput VI.

De lunari Dianae natura.

Iam si reputamus, id quod argumentis firmare contendimus, antiquissimam Dianae naturam non magis terra quam nocte contineri, facile apparet, quomodo Diana lunae numen evaserit, cum luna quasi signum noctis se praebeat. Falso autem hanc lunarem naturam, quam Diana prae se fert, a mythologis principalem et antiquissimam dictam esse supra notavimus. Immo antiquissima Dianae virtus minime ad lunam sed ad noctem pertinet. Erat enim hominum vetustissimae aetatis bina rerum naturalium cogitare principia, scilicet masculinum et femininum, coelum et terram, lucem et caliginem, diem et noctem. Cum vero alterius quasi personificatio Iupiter optimus maximus apud Indogermanos sit, alterum pro terra simul et nocte fuisse apparet [1]). Itaque non mirum est, si Ephesio in Dianae templo Noctis statua fuisse traditur [2]). Brevitatis causa hic Dianae speciem, quae proprie ad noctem pertinet, lunarem dicimus.

Haec iam Dianae natura et cultus caerimoniis et cognominibus et monumentorum ornatu multifariam illustratur,

[1]) cf. Baeumlein, Zeitschr. f. Alterthumsw. 1839, VI, col. 1186 sq.

[2]) P. X, 38, 6. Graecorum poetas noctem per euphemismum, opinor, εὐφρόνην nominasse quasi numen placare studentes notum est. cf. Aesch. Ag. v. 265, 279.

cumque poetae et artifices imprimis hanc proprietatem Dianae laudibus extulerint, innumerabilia testimonia fere extant, quae omnia ut enumerem non capitulo sed libro opus sit. Sed ne lacunam in huius opusculi circuitu praebeamus, singula breviter attingam: nonnulla quoque falso huc allata nobis reicienda sunt.

Primum in Dianae Munychiae natura lunaris notio inest, qua de re conferre licet Suchierum (l. l. p. 46—49) et Welckerum (Th. Gr. I, p. 570 sq.). E nomine vero Munychiae deae minus hanc naturam deduxerim, cum eius explicatio nondum comprobata sit[1]). E forma enim illa, quae suppleri solet, *Μουνουνχία* i. e. 'sola noctu dominans', vix descendere potest[2]). Neque equidem explicationem e radice *μουν* = *μην*-, quam cum determinatione *νχιος* = *νκιος* coniunctam esse voluerunt, comprobare velim. Sed nomen deae ab Atticae illo oppido petitum esse puto, cum persaepe Dianae a locis petita cognomina imponerentur. Munychiae vero nomen e Phoenicum lingua derivare non ineptum videtur, cum מנוחה i. e. 'requietis locus' optime portum navigantibus ac fatigatis mercatoribus gratum significet[3]).

Attamen lunaris Dianae Munychiae natura inde apparet, quod die sexto decimo Munychionis mensis, qui dies Dianae huius festus erat, placentae ei offerebantur, quibus faculae in orbem infixae erant, unde *ἀμφιφῶντες* nominabantur[4]). Deinde Plutarchus (de glor. Athen. c. 7) sextum decimum Munychionis diem consecratum esse tradit, quod illo die *τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος.* His duobus argumentis Munychiae deae lunaris natura satis declaratur.

Deinde in Dianae Arcadicae cultu lunaris natura non plane obscurata est, quamquam apud hanc priscam gentem naturalis indoles multo praestantior habebatur. Cognomen

---

[1]) cf. Ahrens, Rh. Mus. nov. Ser. XVII, p. 362.

[2]) Hoc Schwenckius et Welckerus probabant.

[3]) cf. Graser, Philolog. XXXI, p. 7, n. 6. cf. Schoemann, Antiq. Gr. II, p. 479, n. 4.

[4]) Suidas s. v. *ἀμφιφῶντες* et *ἀνάστατος*. Athen. XIV, p. 645.

enim *Καλλίστη*[1]), quod Dianae apud Arcades erat, ad lunae maiestatem spectare videtur. Sincera enim et tranquilla lunae species pulcherrimae feminae venustatem aequiparare videtur, quare lunari deae imprimis tale cognomen aptum est. Namque etiam a poetis Diana frequenter *καλή* appellatur, velut ab Aeschylo (Agam. 140), ab Aristophane (Ran. 1359: *Ἄρτεμις καλά*), ab Euripide (Hippol. 64 sqq.: *ὦ κόρα Λατοῦς Ἄρτεμι καὶ Διὸς καλλίστα πολὺ παρθένων*). Atqui si talimodo Diana *καλή* nominatur, ad lunam relatio difficilius agnoscenda est: in illa vero Calliste Arcadica clarius comparet, praesertim cum etiam ad caelestem ursam referatur. Callisto enim paulo mutato nomine nympha et comes Dianae fuisse narratur[2]), quae cum a Iove amata esset, post mortem in sidus ursae maioris commutata esset. Certe hoc sidus ab antiquissimis temporibus nationibus notum erat, cum et dispositione stellarum insigne esset et per totam noctem conspiceretur, ut noctis signum eadem ratione, qua luna, etiam ursa caelestis haberi posset. Itaque quoniam ad Dianam ipsam hoc sidus referre possumus, quod Callistus in sidera receptae imago putabatur, intelleges, cur deae naturam non ad lunam sed ad noctem revocandam esse censuerim. Recte igitur Bachofenius (l. l.) dixit 'Der Bär, das Gestirn, ist nicht mit dem Monde zu verbinden, sondern mit der glanzreichen Erscheinung des dunkeln, mitternächtlichen Himmels.' Ursa vero propterea illud praeclarissimum sidus appellabatur, quod ursam bestiam propter pullorum summam curam deae sacram fuisse existimabant. Pythagoras symbolice ursas Rheae manus nominavit[3]). Eaedem bestiae Dianae Laphriae

---

[1]) P. I, 29, 2. VIII, 35, 8. cf. Welcker, Theol. Gr. I, p. 580 sq. O. Müller, d. Dor. I, p. 376, n. 3. Lauer, System der gr. Myth. p. 294 sq.

[2]) P. VIII, 3, 6 sq.: *ταύτῃ τῇ Καλλιστοῖ συνεγένετο ἐρασθεὶς Ζεύς. Ἥρα δὲ ὡς ἐφώρασεν, ἐποίησεν ἄρκτον τὴν Καλλιστώ, Ἄρτεμις δὲ ἐς χάριν τῆς Ἥρας κατετόξευσεν αὐτήν. Καὶ ὁ Ζεύς Ἑρμῆν πέμπει σῶσαι τὸν παῖδά οἱ προστάξας, ὃν ἐν τῇ γαστρὶ εἶχεν ἡ Καλλιστώ. Καλλιστὼ δὲ αὐτὴν ἐποίησεν ἀστέρας καλουμένην ἄρκτον μεγάλην.* cf. Bachofen, Der Bär in den Religionen des Alterthums. Basel 1863.

[3]) Porphyr. vit. Pythag. § 41.

a Patrensibus immolabantur[1]). Itaque cum Arcadibus hoc ursae symbolum debeamus, hos quidem antiquissimum deae Noctis symbolum diutissime conservasse concedendum est.

Contra multo recentiorem et inferiorem speciem lunaris deae exhibet Hecate[2]), non illa quidem, quam Hesiodus in Theogonia copiose praedicat, sed ea, quam posteriore tempore cultam fuisse scimus. Sed etiam tunc, cum Hecata dea quasi in inferiorem locum recessisset, illa antiquissimae genitalis vis, quam proximo capite tractabimus, retinebatur. Vel triplex eiusdem deae non solum natura sed etiam figura cogitabatur, nempe caelestis, terrestris vel naturalis, inferorum numinis: illa vero caelestis ceteris superior videbatur esse, cum postea ipsam lunam Hecata repraesentari conicerent[3]). Dianam autem, cum fere eandem speciem atque Hecata praecipue in imaginibus exhiberet, hac ipsa re e vulgari sententia facilius lunae ipsius naturam induisse verisimile est. Itaque Euripides[4]) Latonae filiam *Σελαναίαν* appellat, cum paulo supra (v. 110) eandem *Ἑκάτην* nominaverit. Deinde panes vel placentas rotundas, quae menstrualibus sacris deae ante domorum portas proponebantur, *σελήνας* dictas esse traditum est[5]). Quod vero illius deae ante omnes fere portas sigilla vel sacraria collocata erant, cognomen *Ἐνοδία*[6]) vel *Προθυραία* Hecatae inditum est[7]). Quare mihi declarari videtur huius deae cultum frequentem et usitatissimum in privatis sacris fuisse. Deinde similitudo Mercurii Enodii[8]) respicienda est, qui deus cum Hecata ab Hesiodo quoque (Theog. v. 444) componitur. Sed in hoc Hecatae cultu

---

[1]) P. VII, 18, 12 sq.

[2]) cf. Welcker, Theol. Gr. I, p. 562 sqq.

[3]) Suid. s. v. *Ἑκάτην: οἱ μὲν τὴν Ἄρτεμιν, οἱ δὲ τὴν Σελήνην.*

[4]) Phoen. v. 175 sq.: *ὦ λιπαροζώνου θύγατερ ἁ Λατοῦς Σελαναία, χρυσεόκυκλον φέγγος.*

[5]) Suid. s. v. *ἀνάστατοι* et *σελῆναι*. Hes. s. v. *σελήνας* vel Eurip. fr. 352 (Nauck).

[6]) cf. Plat. Leg. XI, p. 914 *B* et schol.

[7]) Aristoph. Vesp. v. 804, Soph. Antig. v. 1199, Eurip. Hel. v. 570 fr. 310 (Nauck). P. III, 14, 9.

[8]) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 324.

naturalem potius agnoscimus deam, quam infra definiemus, non lunarem. Alia vero cognomina hanc indolem Hecatae satis indicant, velut ὑπολάμπτειρα[1]) φωσφόρος[2]), quod idem ad Dianae nomen apponitur[3]), νυκτιπόλος[4]).

Praeterea Dianae antiquissimae lunarem naturam in heroinarum personis reperire possumus. Agamemnonis filia, Iphigeniae soror Chrysothemis[5]) est, cuius nomen e χρυσο- et θέμις compositum est. Themidem vero antiquissimae Dianae speciem fuisse infra explicabo. Cum vero Chrysothemis Iphigeniae i. e. Dianae soror appellata sit, ne a Chryse[6]) quidem illa dea lunaris diversa esse potest, et haec quoque Chryse, quam vulgo Athenienses Minervae formam esse voluerunt, Dianae prae se fert naturam, id quod primo Wachsmuthius[7]) probavit. Diana ipsa χρυσέα θύγατερ Διός invocatur a Sophocle, Oed. R. v. 187.

Altera deindo vel tertia, si Iphigeniam addas, Agamemnonis filia eandem lunaris deae naturam nomine ipso exhibet, nempe Electra, quae est 'lucida', quacum conferre licet Electryonam, Rhodiorum lunarem deam. Eodem nomine Electra Pleiadum una significabatur[8]), e qua Iupiter Dardanum genuisse fertur. Propter id ipsum ad antiquissimum Dianae numen referendam eam esse apparet.

Eadem notio, quae in Electrae nomine et natura, in notissima illa Helena latet, quo nomine lunae sive nocturni caeli splendor certe notatur[9]). Eandem igitur esse Helenae naturam principalem ac Dianae iam Boeckhius (Explic. Pind. p. 164) recte monuit. Ea enim Nemesis filia, non Ledae in

---

[1]) Hesych. s. h. v.

[2]) Eur. Hel. v. 569, fr. 959.

[3]) Callim. h. in D. v. 204, cf. 11, P. IV, 31, 10, σελασφόρος: P. I, 31, 4.

[4]) Apollon. Rhod. IV, 829.

[5]) Hom. *I*, 145, 287.

[6]) Lemni culta est. O. Muellero plane assentior, qui haec (de Dor. I, p. 388): 'Wahrscheinlich war diese Chryse, die auch Athena genannt wird, nur eine andere Form ihrer Schwester Iphigenia; zur Aufklärung des Namens liegt der Mond am nächsten'; cf. Soph. Oed. Tyr. v. 187.

[7]) Die Stadt Athen im Alterth. I, p. 424 sq.

[8]) Preller, Myth. Gr. I, p. 383.

[9]) G. Curtius, Grundz. der gr. Etymol. p. 541.

Cypriis erat[1]), quam Nemesim Dianae speciem praebere infra docebo. Neque omnino divinis honoribus Helena carebat, cum et Spartae eius templum esset[2]) et Rhodi, ubi cognomen *Δενδρίτιδος* ei erat[3]). Ubique vero Dianae simillima apparet et si in hac bellica quaedam natura (vide infra) statuenda est, eandem in fabulosa illa regina non minorem agnoscimus. Ea enim est Helena mulier, cujus improbitate exitium Trojae paratum est[4]). Deimlingius (d. Leleg. p. 165 sqq.) quidem hanc deam Helenam Lelegum fuisse probavit, qui arctius eius virtutes circumscripsit, cum non solum lunari illa quam statuit Deimlingius natura contineretur, sed illa universa naturali, quam in Diana comprehendimus.

Apud Aeginetas, qui maxime Hecatam i. e. Pelasgicam nostram Dianam Orphicis quidem in mysteriis colebant, Aphaea haec dea, quae etiam cum Britomartide Cretica confusa est, nominabatur[5]). Quod nomen non ad lunae sed ad noctis speciem pertinere apparet. Recte enim Hartungius (Myth. Gr. III, p. 209) nomen *'Αφαία* 'die Graue' interpretatur, cum ex *α* privativo, quod dicitur, et radice *φα-* i. e. luc- illud compositum esse doceat. Tenebricosam Terram vel Noctem videlicet significat. Non idem[6]) sed contrarium notione est Leucothea[7]) quam Latine 'Albuneam' interpretari possumus, quae nautis propitia cogitabatur.

Quae cum etiam Ilithyiae munerum compos esset, Dianae primitus aequalis videtur fuisse, sed maritimam eiusdem Leucotheae naturam inde profectam esse censeo, quod deam a gente maritima quadam cultam esse putaverim.

Omnino vero falso nomen Leucophrynae eodem loco opponit Hartungius, cum id Dianae cognomen ab urbe Cariae ad Maeandrum sita petitum sit. Neque magis probare pos-

---

[1]) cf. Preller, Myth. Gr. II, p. 110.

[2]) P. III, 15, 3. Herod. VI, 61.

[3]) P. III, 19, 9 sq.

[4]) Eur. Elect. 1280: *ὡς ἔρις γένοιτο καὶ φόνος βροτῶν.*

[5]) P. II, 30, 2 et 3. *'Εν Αἰγίνῃ δὲ πρὸς τὸ ὄρος τοῦ Πανελληνίου Διὸς ἰοῦσίν ἐστιν 'Αφαίας ἱερόν, ἐς ἣν καὶ Πίνδαρος ᾆσμα Αἰγινήταις ἐποίησε.*

[6]) quod Hartungius vult.

[7]) cf. Preller, Myth. Gr. I, 493 sqq.

sum quod Lauerus (Syst. Myth. Gr. p. 289) ad lunarem naturam cognomina Dianae refert: *Λυκεία, Λυκοᾶτις, Ἀμαρυσία*, cum primi illius cognominis originem plane nescire nos censeam[1]), horum vero origines ab oppidorum nominibus deducendas esse Pausanias indicat[2]). Idem Lauerus (l. l. p. 290) plane perverse ad lunarem deam referenda censet cognomina *ἐλλοφόνος, τηλέμαχος, τρικλαρία*[3]), *χρυσήνιος, χρυσηλάκατος*[4]), cum alia ratione multo facilius eadem explicari posse quivis intellegat.

Neque denique Aeschyli fragmentum[5]), quod ille laudat, ad lunam refero: *ἃς* (Erinnyes) *οὔτε πέμφιξ ἡλίου προσδέρκεται οὔτ' ἀστερωπὸν ὄμμα Λητώας κόρης*, sed ad caeli nocturni stellatam speciem: *ἀστερωπὸς* enim luna nominari nequit, sed solum caelum nocturnum[6]) sive *αἰθήρ*[7]). Qua re perspecta mirum videtur, quam sincere et incorrupte Aeschylus Dianaė naturam antiquissimam noverit et descripserit.

Itaque denuo singulis rebus peractis id tantum de antiquissima religione statuere possumus lunarem Dianae naturam in eam tantum sententiam probandam esse, ut luna symbolum noctis sit. Noctis igitur divina maiestate principalis Dianae natura continetur.

Quodcum ita sit, etiam noctu sacra deae facta esse consentaneum est, cuius rei complura habemus exempla[8]).

Restat autem, ut monumentorum testimonia de nocturna vel lunari Dianae indole explicemus. Huius vero operis non est singulas enumerare statuas et nummos et figuras pictas, quae lunae symbolum contineant vel aliud eiusdem notionis, nec quidquam ad naturam deae explicandam confert,

---

[1]) P. II, 31, 4; cf. Schoemann, Ant. Gr. II, p. 481.

[2]) P. VIII, 36, 7. P. I, 31, 4.

[3]) Ea est, cuius temenos e trium pagorum sorte vel agro compositum est; cf. P. VII, 19, 1.

[4]) An omnia deorum aurea instrumenta ad lunam pertinent?

[5]) Aeschyl. fr. 159.

[6]) Eur. Hippol. 850 sq.: *φέγγος ἀελίου τε καὶ νυκτὸς ἀστερωπὸν σέλας.*

[7]) Eur. Son. v. 1078, *ὅτε καὶ Διὸς ἀστερωπὸς ἀνεχόρευσεν αἰθήρ, χορεύει δὲ σελάνα.*

[8]) cf. P. VII, 19, 1; VI, 22, 9. Eur. Hel. 1365.

cum certa quaedam signa sexcenties repetita sint. Sed symbolorum explicatione opus est.

Primum quidem lunulae ad figuras deae apponebantur, unde mihi factum videtur esse, ut paulatim Diana et Luna confunderentur. De notione huius signi dubitari iam non potest, cum noctis symbolum id esse docuerimus.

Deinde faculas Dianae signa manibus tenere solebant, quas Noctis deae proprias fuisse aeque manifestum est. Quodcum poetae vel potius omnes Graeci tales deos esse cogitarent, quales ab artificibus fingerentur, poetae facile deorum ad nomina epitheta addiderunt, quae proprie ad deorum imagines pertinent. Sic Diana *ἀμφίπυρος* nominabatur[1]) (Sophocl. Trach. 214) i. e. duabus faculis instructa, qua de re conferri liceret eiusdem Sophoclis Oed. Reg. 205 sq. *τάς τε πυρφόρους Ἀρτέμιδος αἴγλας, ξὺν αἷς Λύκι᾽ ὄρεα διάσσει.*

Nimis autem allegorice nonnulli[2]) faculas lucis vel vitae signa esse censent, cum ea quam fecimus explicatio multo simplicior ideoque probabilior videatur. Altera deinde est E. Curtii, facularum symbolica explicatio, quam in scholis archaeologicis proposuit. Etenim in universum faculis significari mysteria, in quibus ad sacra adhibitae sint, existimat eadem ratione, qua sceptro regnum vel patera libationem sive omne sacrificium. Sed in Dianam id minus cadere videtur, cum epithetum *φωσφόρος* Dianae non motum et actionem sed proprietatem indicet neque mysteria in Dianae cultu frequentia sint.

Tum deae Noctis symbolum mihi videntur alae, quibus antiquissimae figurae instructae sunt. In Cypseli cista Dianam humeris alatam artificem finxisse Pausanias tradit[3]), quarum figurarum exempla nuper plurima inventa sunt. Plerumque bestiae Dianae utrimque additae sunt, cuius generis monu-

---

[1]) Eadem ratione a statuis derivata cognomina sunt: *Ἀπαγχομένη*, *Ὀρθία*, *Λυγοδέσμα*, fortasse etiam *Δίκτυννα*.

[2]) velut O. Müller, Kunstarchäologie, § 363.

[3]) P. V, 19, 5: *Ἄρτεμις δὲ οὐκ οἶδα ἐφ᾽, ὅτῳ λόγῳ πτέρυγας ἔχουσά ἐστιν ἐπὶ τῶν ὤμων, καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ κατέχει πάρδαλιν, τῇ δὲ ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν λέοντα.*

menta tunc nota composuit E. Gerhardus[1]). Posthac earum imaginum numerus valde auctus est, quorum monumentorum exempla complura Berolinensi in museo regio conservantur[2]). Nox vero a poetis pinnata cogitabatur, qua de re Euripidem conferas in Oreste (v. 176 *κατάπτερος*) et Aristophanem in Avibus (v. 695 *ἡ μελανόπτερος*). Alae iam vero nostrae deae simulacris additae non tam pernicitatem cursus significant, quam condendi facultatem, quod nox tanquam alis terram premit et tuetur[3]).

Denique quasi optimum lunae symbolum mythologi[4]) arcum et sagittas esse autumant, quibus radii lunae haud minus ac solis significentur. Minime hanc telorum interpretationem probare possum: neque enim solum sagittis sed etiam hastis Diana utebatur[5]), vel scuto instructa erat[6]), denique gladium gerebat[7]). An haec quoque arma radiorum symbola sunt? Immo armata si Diana fingitur, bellicosam speciem sine ullo dubio praebet, qua de re infra accuratius disseram. Auctorem vero gravissimum sententiae meae, sagittas non esse radios, rursus laudare possum O. Muellerum[8]), cuius sagax ingenium verum sensit. Itaque hoc signum, sagittas et arcum dico, lunae symbola esse negandum nobis est, quod ne cogitari quidem potest, cum Diana non Lunae sed Noctis species sit: noctis vero radios sana mente nemo intellegere potest.

Summam igitur huius capitis concludere possumus: Dianae naturam principalem e Lunae numine deducendam

---

[1]) Archäolog. Zeitg. 1854, tab. 61—63.

[2]) cf. cistam Thebanam fictilem antiquissimam (invent. n. 2657), aeneam figuram (n. 2153), deinde fictilem (n. 7200), vasa n. 541, 542, denique Olympiae repertam tabulam aeneam (cat. n. 1).

[3]) Sic iam Stickelius, de Dianae Persicae monumento Graechwyliano, p. 12. cf. Voss, Epist. Myth. II, p. 6.

[4]) O. Müller, Kunstarch. § 363. Gerhard, Prodromus, p. 158, not. 34.

[5]) P. X, 38, 12: *σχῆμα δὲ (Ἀρτέμιδος ἄγαλμα) ἀκοντιζούσης παρέχεται*; cf. Archäolog. Zeitg., 1849, p. 65 sqq., tab. VII.

[6]) P. IV, 13, 1.

[7]) Herod. VIII, 77: *Ἀρτέμιδος χρυσαόρου.*

[8]) De Dor. I, p. 284.

non esse, Noctis vero speciem aliquoties prae se ferre lunulamque, quam ad signa additam videamus, noctis symbolum esse.

Caput VII.

De Dianae vi naturali.

Summatim cum iam supra de Dianae naturali vi dixerimus, hoc capitis initio Cereris et Veneris ad Dianam relationem tractabimus, quippe quae eandem fere indolem ac Dianae naturalis deae numen exhibere videantur.

Ceres [1]) quidem, quae priscae Terrae Matris habitum prae se fert, Dianae et specie et cultu et cognominibus simillima est. Utrique deae faculae in signis attribuuntur, sacra nocturna fiunt, cognomen *κουροτρόφος* attribuitur. Deinde in cultu apud Arcades coniunctae erant [2]), vel Diana Cereris ipsius filia ab Aeschylo [3]) nominata est. Sed etiam discrimina dearum notanda sunt. Ceres Iovis habebatur coniux, Diana virgo Iovis filia. Cum vero de Diana hanc opinionem recentiorem esse docuerimus, illam vero religionem, quae Iovis coniugem Dianam facit, multo vetustiorem, etiam in hac re deae congruunt. Ceres autem agriculturae inventrix et fautrix putabatur, cum Dianae praesidium imprimis ad silvarum pratorumque fertilitatem pertineret. Deinde multo latius Dianae quam Cereris in universum patet regimen. Ceres matronalem, Diana virginalem habitum prae se fert. Ceres i. e. *Δημήτηρ* Graecorum propria est, Diana i. e. *Ἄρτεμις* multarum nationum communis. Itaque multo recentiorem deam fuisse Cererem quam Dianam colligimus, cum Diana a nomadibus coleretur, Ceres ab agri cultoribus solis coli coepta esset. Attamen haec numina non diversa sunt, sed Ceres quasi forma Dianae paulo abalienata apparet, Rheae, Asiaticae deae, similior quam Dianae.

Altera deinde dea, in cuius provinciam, ut ita dicam, Dianae naturalis vis procedit, Venus est, quam generationis

---

1) cf. Preller, Myth. Gr. I, 618 sqq.
2) P. VIII, 37, 1 et 4.
3) P. VIII, 37, 6.

omnis et naturae et hominum praesidem fuisse scimus[1]). At primo quidem Ἀφροδίτην Graecorum e Semitarum religione receptam esse recordemur, id quod cum multis aliis argumentis, quae mythologi iam contulerunt, tum nominis etymologia demonstratur. Ἀφροδίτη enim a rad. פרד i. e. aperire (sc. plantarum gemmas) descendere mihi videtur. Vocalis α, quae praecedit, Semitici articuli forma est, quae nonnunquam cum substantivo nomine, si quod in aliam linguam tralatum est, copulata conservabatur velut in Ἀταβύριος = התבר. Vocis clausula ιτ-η rursus Semiticae determinationis femininae formam continet. Itaque nomen deae certo a Semitis adscitum est, neque minus Veneris cultus, qui haud raro Asiaticum in morem stuprorum usu polluebatur. Etiam Graecorum talem deam naturalem fuisse verisimile est, ac Prellerus quidem rectissime opinatur, cum haec (l. l.) dicat: 'Ja es ist uns in der Dione, welche in der Ilias (V, 370, 428) für die Mutter der Aphrodite gilt, in Dodona an der Seite des Zeus verehrt und von Euripides für identisch mit der Thyone, der Mutter des Dyonysos gehalten wurde, sogar eine bestimmte Andeutung von einer derartigen Göttin gegeben.' Dianam igitur, quam eandem ac Dionen esse probavimus, illa naturali vi in Indogermanorum religione instructam videmus, qua apud Semitas Aschera i. e. Aphrodita. Sed posteaquam de diis sententiae apud Graecos paulatim ex populi ingenio commutatae sunt, longe inter se dissidere duarum dearum virtutes coeperunt. Diana quidem virginis et venatricis speciem induit, in Venerem autem officia et virtutes mulierum propria collata sunt. Quare Graeci impediti sunt, quominus in unam eandemque deas confunderent.

Dianae naturalem vim triplicem esse videmus, cum ad terrae fertilitatem et ad hominum salutem et ad bestiarum curam pertineat. Terrae vero fertilitas continetur et vi humo immanente et aquarum irrigatione. Itaque duas discernimus deae naturalis provincias, nempe terram fruges edentem et aquam humum irrigantem. Contra illa duo Dianae benificia, hominum tutelam et bestiarum curam, in unum complecti

[1]) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 271 sqq.

possumus, nempe quod ad omnium animalium generationem et tutelam pertineat.

Vis Dianae procreatrix quamquam a poetis Graecis minus explicite laudata est, tamen Orphici hymni (36, v. 4) extat locus, quo Diana dicitur *ἄγουσα καλοὺς καρποὺς ἀπὸ γαίης*. Latere autem eandem deae naturam in laudibus, existimo, quibus a poetis choreae Dianae, quas cum nymphis ducat, praedicantur. Iam apud Homerum insignem habemus locum (ζ 102 sqq.):

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα
ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἢ Ἐρύμανθον
τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισιν.
τῇ δέ θ' ἅμα νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο
ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.
πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται· καλαὶ δέ τε πᾶσαι.

Mittimus aliorum poetarum verba, cum nova ad naturam Dianae describendam argumenta minus praebeant. Sed quid ex hoc Homeri loco nobis colligendum est? Videlicet naturas deae et nympharum consimiles fuisse. Nymphae quasi personificationes naturalis deae sunt, quae in qualibet arbore, fonte, flumine, monte habitare putabatur. Cum vero Diana iis praesit, summam quasi omnium montium, arborum, fontium dominationem deae nostrae provinciam esse apparet: naturae igitur omni praeest. Itaque Hartungius (Myth. Gr. III, p. 153) rectissime scripsit. 'Ihr ist, als der Herrin, Alles eigen, was wild aufwächst ohne Beihülfe der Cultur.' Illam vero Germanorum de nympharum regina opinionem, quam idem Graecis quoque vindicat, nunquam disertis verbis dictam invenimus. Itaque nympharum ac Dianae relationem hac ratione accuratius definire possumus: naturalis dea quamquam per universam naturam efficax est, tamen a singulis hominibus sentitur, cumque diversis locis diversas natura species praebeat, naturalis deae numen in plurimas nympharum personas dividitur. Itaque nymphas tanquam emanationes illius magnae[1]) deae habemus, quae ubique terrarum efficax est. Primo

[1]) *Μεγάλη* Diana appellata est a Callim. H. in Pall. v. 110. C. I. G. 2963c.

quidem hoc loco Dianam in singularum personarum formas divisam notamus, id quod subsequentibus capitibus aliquoties repetendum erit, velut in Ilithyiis, quae ipsae plurali numero *'Αρτέμιδες* nominantur[1]). Naturalis dea, quae in montem quemlibet dominari putabatur, *'Ορειάς*, quae in fontem vel rivum vel lacum, *Ναϊάς*, quae in arborem, *Δρυάς* erat nomenque proprium a loci nomine duxit. Itaque evenit, ut etiam in Dianam cognomina a regionibus, locis, fontibus vel arboribus petita transferrentur, quod non in Peloponneso tantum hac ratione factum esse cum O. Muellero[2]) existimo sed ubique Graeciae. Suam se quisque pagus deam possidere cogitabat et cognomine adiecto ab aliis discernebat, suam quisque cultu et sacrificiis honorabat. Neque tamen ubique omnes Dianae virtutes aeque memoria tenebantur, sed plus minusve secundum regionum naturas: si quae montana regio erat, montis deam Dianam dictitabant, si humida, fluminis vel lacus, si maritima, portus vel promontorii, si denique plana planitiei vel pagi. Sic a montibus duxit cognomina Diana Cnacalesia[3]), Issoria[4]), Coryphaea[5]); a fluviis Alpheüsa vel Alpheaea[6]), Imbrasia[7]), a lacubus Limnatis[8]), quae non a Limnis Spartae urbis tribu deducenda est[9]), Saronia vel Saronis[10]), a portubus Munychia[11]), Aulis[12]), a promontoriis

---

[1]) in tab. Chaeroneensi C. I. G. n. 1598.

[2]) De Dor. I, p. 377: Denn wenn Apollo und die mit ihm verbundene Schwester selten stehende Beinamen erhalten, die vom Orte der Verehrung herkommen, so geben dagegen dieser Göttin (der arkadischen Diana) fast alle Berge, Höhen, Quellen, Wässer Arcadiens und des übrigen Peloponneses specielle Benennungen, die fast unzählig sind.

[3]) P. VIII, 23, 3.

[4]) P. III, 14, 2; 25 4. Hesych. s. v.

[5]) P. II, 22, 2. Steph. Byz. s. v. *Κορυφαῖον*.

[6]) P. VI, 22, 10.

[7]) Callim. H. III, v. 228.

[8]) Paus. IV, 4, 2. cf. C. F. Hermann, Antiq. Gr. II, p. 351, not. 6, 2. ed.

[9]) cf. Fränkel, Archäol. Zeitg., tom. 34, 1877, p. 30.

[10]) P. II, 30, 7. 32, 10. Hesych. s. v.

[11]) *Λιμενοσκόπος* appellatur Call. H. III, v. 259.

[12]) C. I. Gr. 5941.

Leucophryene[1]), Chesias[2]); ab urbium autem vel pagorum nominibus haec descendunt: Astyrene[3]), Colaenis[4]), Ephesia, Pergaea, hae quidem Asiaticae, deinde Amarysia[5]), Brauronia, Caryatis[6]), Condyleatis[7]), Derrheatis[8]), Lycoatis[9]), Oenoatis[10]) in Attica et Argoli, Pheraea, Pythia[11]), Sciaditis[12]), Stymphalia[13]), ἐν Πλείαις[14]), ἐν Δειράδι[15]): denique vel ab arboribus, in quibus, opinor, Dianae statuae erant positae, vel e quibus pendebant[16]) cognomina Diana recepit, scilicet Daphnaea[17]), Cedreatis[18]), Coccoca[19]). Aliae deinde arbores praeclarae Dianae sacrae habebantur, velut Ephesiae antiquissimum sacellum ulmi aut fagi truncus erat[20]). Celeberrima deinde iam Homeri[21]) temporibus laurus Delia erat, qua nixa Latona Apollinem et Dianam peperisse dicebatur[22]). Tum Aulide iuxta fontem platanus sacra fuerat, cuius reliquiae summa cura in templo conservabantur[23]). Myrtum denique Dianae sacram Lacones Boeis colebant[24]).

---

1) Leucophrys et promontorium et urbs erat.
2) Callim. h. III, 228.
3) C. I. Gr. 7031.
4) P. I, 31, 4. cf. Xen. Anab. I, 2, 7.
5) Ab Amaryntho P. I, 31, 5.
6) P. III, 10, 6.
7) P. VIII, 23, 6.
8) P. III, 20, 7.
9) P. VIII, 36, 7.
10) Eur. Herc. fur. 379. Hesych. s. v. Οἰνωᾶτις. Steph. Byz. s. v. Οἴνη.
11) C. I. Gr. 2866, 2886 et add. b, c.
12) P. VIII, 35, 5.
13) P. VIII, 22, 6.
14) C. I. Gr. 1444.
15) C. I. Gr. add. 4300 t.
16) Qua re Ἀπαγχομένη nominabatur P. VIII, 23, 6—7. Clem, Alex. Protr. II, 36, p. 32 Pott.
17) P. III, 24, 8.
18) P. VIII, 13, 2.
19) P. V, 15, 7.
20) Guhl, Ephesiaca p. 78 sq.
21) ζ 162 sq.
22) Eur. Iph. Taur. 1099 sqq.
23) P. I, 19, 7.
24) P. III, 22, 12.

Non solum singulae arbores sed etiam silvae vel montes Dianae quasi domicilia dicebantur, quos enumerare longum est. Itaque *ὀρεστέρα* in universum cognominabatur[1]), quacum Romana 'Nemorensis' concinit. In eorum quidem religione Dianae haec naturalis vis, quae ad fertilitatem agrorum et silvarum utilitatem pertinet, semper praedicabatur. Cuius rei Catullus in hymno Dianae pulcherrimo testis est, ubi haec leguntur (34, v. 9 sqq.):

Montium domina ut fores
Silvarumque virentium
Saltuumque reconditorum
  Amniumque sonantium . . .

et paulo infra (v. 17 sqq.):

Tu cursu, dea, menstruo
Metiens iter annuom
Rustica agricolae bonis
  Tecta frugibus exples.

Neque minus hanc naturalem Dianae vim praedicat Horatius Carm. I, 21; III, 22:

Montium custos nemorumque, Virgo . . .
v. 5: Imminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego laetus annos
Verris obliquum meditantis ictum
  Sanguine donem.

deinde IV, 6, 39 'prosperam frugum' appellat: cf. Carm. Saec. v. 29—32.

Quamquam plurimis Asiae et Graeciae locis naturalis dea colebatur, quibusdam in urbibus tanta fruebatur claritate, ut singulorum oppidulorum cultus plane obscurarentur. Longe vero celeberrimus omnium erat Dianae cultus Ephesiae, de cuius origine, cum nondum satis explicata videatur[2]), nonnulla addantur.

Ephesum antiquissimam urbem neque ab Ionibus, ne dicam ab Epheso, heroe eponymo, conditam esse satis con-

---

[1]) Eur. Troad. v. 551. Eiusdem notionis sunt: *ὀρεία*, *οὐρεία*, *ὀρεστιάς*, *ὀρειβάτις*, *οὐρεσίφοιτος*, *ὀρεῖτις*, quae item Dianae imponuntur cognomina.

[2]) cf. Creuzer, Symbol. II, p. 185. Guhl, Ephesiaca, Berol. 1843. E. Curtius, Ephesus.

stat, neque a Semitis aedificatam esse equidem iudicaverim, id quod Curtius, qui de alto mari primos incolas venisse contendit, cogitare videtur. Sed Phoenices aliive Semitae eo non appulissent, nisi hominum frequentia iam ibi fuisset, quibuscum commercium agerent. Itaque ab Indogermanica quadam gente fortasse Phrygica conditam urbem esse, inde colligere audeo, quod nomen antiquissimum urbis Smyrnae[1]) ad Indogermanicam linguam revocari potest. Quodcum Smyrnae nominis antiquior forma Samorna nobis tradita sit, vulgarem illius etymologiam, quae a myrrharum multitudine *Σμύρνην* dictam esse statuit, comprobare non possum. Iam Gutschmidius[2]) illo etymo reiecto barbarum nomen esse censuit. Quamquam igitur non e Graeco sermone ortum esse illud statuimus, tamen ex Arica lingua derivatum esse concedi potest, ubi 'samarana'[3]) vox extat composita ex adverbio sam = cum et rad. ar = *ὀρ*-, i. e. ire vel consequi[4]). Samarana, quod Arice proelium vel pugna audit, proprio concursum vel conventum significabat et conventus locum indicare id potuisse coniicio, quale nomen urbi antiquissimae peraptum est. Idem nomen, quo praeterea urbs notissima ad Sipylum sita nominabatur, hac quidem in regione semper retinebatur, cum de illa urbe vulgo Ephesi nomen postea usurparetur.

Et hoc quidem nomen ante Graecorum adventum extitisse putaverim, cum e Graeca lingua id derivari posse negem. Guhlii[5]) enim sententia, qui urbem a deae cognomine *Ἐφεσία* i. e. 'iaciente (dea)' dictam esse arbitratur, plane perversa est. Cum vero Lydos et Babylonios in has regiones progressos esse sciamus, non ineptum mihi videtur

---

[1]) Steph. Byz. s. v. Hesych. s. v. *Ἄρτεμις*. Callinus Ephesios Smyrnaeos appellavit. Neque enim comprobem Guhlium, qui Samornam i. e. Smyrnam a Samiis nomen duxisse contendit. Sin Smyrna vicus urbis nominatur, antiquissima pars videtur nomen conservasse. Guhl, p. 7 et 31. 'Smyrnae' etymologiam novam proposuit Goebelius Lex. II, p. 249.

[2]) Beiträge zur Geschichte des alten Orients, p. 128.

[3]) Fick, Wörterbuch der indog. Spr., I, p. 320.

[4]) Ibid. I, p. 13.

[5]) l. l., p. 98 sq.

censere illos novum imposuisse urbi nomen, i. e. Ephesum. In Semitica enim lingua אפס (ephes) idem est, quod finis, quae vox exempli gratia legitur in Psalmi 2, v. 8; 22, v. 28. Ephesus igitur Babyloniis quasi finis erat terrarum, ad quem occidentem versus progressi pervenerant. Tertii denique per mare Aegaeum transvecti Iones advenerunt, qui iuxta priores domicilia exstruebant.

Historia Ephesi urbis adumbrata iam deae Ephesiae naturam et cultum facile intellegemus. Incolae primi, quos Guhlius Pelasgos nominat, deam illam matrem venerabantur, quae et terrae et noctis speciem praebebat, Ἄρτεμις nominatam, cumque illa regio in Caystri alluvie aquosa esset, ad aquam non minus deae vim pertinere cogitabant[1]). Cum vero Lydi accessissent, Asiaticae religionis caerimoniae afferebantur statuaque deae ipsa Asiatico more symbolis cumulatis in monstruosam illam speciem abiit, quam Graeci propter sanctitatem imaginis conservabant. Iones deinde advenae, qui similitudinem huius quasi degeneratae deae et naturalis ipsorum Dianae abnuere non potuerunt, tanquam patrium receperunt et conservaverunt Dianae cultum, qui usque in Graecorum ultima tempora Ephesi in opulentissima urbe celeberrimus erat.

Eiusdem generis atque Ephesius Dianae cultus ad lacum Gygaeum[2]) erat, qui caerimoniis naturalem deam indicat. Choreae enim puellarum, quae in deae honorem diebus festis saltabant, calamis ornatae erant quasi veris primitias ferentes.

Eandem naturam, quam Ephesia, deinde Leucophryne et Pergaea Diana exhibent[3]), quae Asiatica specie magnam partem indutae sunt. Nec tamen tantum in Asianorum caerimoniis hanc naturalis Dianae indolem deprehendimus, sed etiam in Graecorum ipsorum sacris, quorum insignia erant Dianae Caryatidis. Nymphae enim Caryis in Laconiae oppidulo cum Dianae cultu coniunctae erant, saltationesque

---

[1]) cf. Guhlium, p. 84 sqq., qui tamen falso ab Arcadibus colonis hanc deae naturam descendere putat.

[2]) cf. E. Curtius, Archäol. Zeitg., XI, 1853, p. 148 sqq. cf. Stephani, Cont. rend., 1865, p. 28.

[3]) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 255 sq.

puellarum canistra ferentium singulari more exercebantur[1]). Quamquam hic mos Asiatico similis fuit, tamen ex illo derivandum eum esse non probem[2]), cum communem Dianae cultum antiquitus et Phrygum et Pelasgorum fuisse censeam. Priscam enim formam non solum cultus sed etiam simulacra deae vel apud Graecos exhibebant.

Antiquissima huius naturalis deae signa non magna neque pulchra erant, immo parva ac fere inepta sed summa sanctitate habebantur. Etenim ligneae trabes erant, in quibus vultus et mammae supra caelatae brachiaque e cubitis dispansa erant. Venter autem et pedes infulis arte circumligati erant, ut stelae potius quam hominis speciem statuae praeberent. Cum vero varia deae simulacra extarent, velut sedentis in solio[3]) qualia satis multa praecipue in Boeotia nuper reperta sunt[4]), illa, quae modo descripsi, *ὄρθια* appellabantur, unde cognomen ipsum in Dianam Orthiae pervenit[5]). Eo cognomine Diana appellabatur, quae in Limnaeo, Spartae urbis vico, aedem habebat[6]), ubi Orestes e Tauris rediens Dianae signum deposuisse credebatur (P. III, 16, 7 sqq.), quod quidem praeter Lacedaemonios etiam Brauronii, Cappadoces, Lydi se possidere autumabant. Ex hac re id mihi tantum colligi posse videtur suum quemque locum Dianae signum habuisse summa vetustate consimilique forma, quod postea a sacerdotibus cuiusque templi Tauricum esse fabulis celebratum vulgabatur. Itaque Asiaticorum templorum imagines a Graecorum priscis xoanis non diversas fuisse apparet, quare etiam aequalem Dianae cultum et Phrygum et anti-

---

[1]) P. III, 10, 7: *τὸ χωρίον Ἀρτέμιδος καὶ Νυμφῶν ἐστὶν αἱ Κάρυαι, καὶ ἄγαλμα ἕστηκεν Ἀρτέμιδος ἐν ὑπαίθρῳ Καρυάτιδος· χόρους δὲ ἐνταῦθα αἱ Λακεδαιμονίων παρθένοι κατὰ ἔτος ἱστᾶσι καὶ ἐπιχώριος αὐταῖς καθέστηκεν ὄρχησις.*

[2]) Id censet E. Curtius, l. l.

[3]) Unde nomina adiectiva Dianae imponebantur *χρυσόθρονος* et *εὔθρονος*.

[4]) Berolinense museum multa continet (invent. catal. n. 3494, 6262, 6303, 7643).

[5]) Similiter Semiticum 'Ascherae' (i. e. Rectae) Astartes cognomen proprie est. cf. Welcker, Myth. Gr. I, p. 584.

[6]) C. I. G. 1416, 1444.

quissimorum Graecorum statuere possumus neque Dianae cultum Ephesium aliosque Asiaticos a Graecorum religione dirimendos esse arbitror, cum Asiatici antiquiorem Dianae naturalem vim melius conservasse videantur, quam Graecorum plurimi.

Vel ultra Graeciae et Asiae quae dicitur minoris fines hic Dianae naturalis deae cultus vigebat frugumque dona ei offerebantur. Thraces Paeonesque id quidem fecisse Herodotus (IV, 33) tradidit, a quo eodem illa mirabilis narratio de Hyperboreorum donis Delum missis copiose perhibetur. Dianae primum haec dona sacra fuisse, non Apollini inde mihi videtur apparere, quod priores Hyperboreae virgines, quae Delum pervenerunt, Arge et Opis Ilithyiae tributum attulisse dicebantur[1]). Ilithyia enim Diana ipsa est. Deinde virginum nomina deae ipsius cognomina sine dubio sunt: posteriores vero, Hyperoche et Laodice Dianae antistites erant, quare in eius templo post mortem sepultae sunt. Dona vero quae ab Hyperboreis emissa et per singulas gentes tradita Delum apportabantur, frugum primitiae erant, quales naturali deae sacrificare solebant[2]). Neque quod e Prasiis, ubi Apollinis templum erat, Delum tralata essent, Apollinis sacra illa fuisse credas, id quod Pausanias (l. l.) ab Herodoto dissentiens tradit. Per Euboeam insulam transportata illa dona esse verisimilius est. Itaque minus Apollinis quam Dianae antiquissimum cultum illa narratione traditum esse putem[3]). Hyperborei vero orientales mihi videntur gentes fuisse, cum Sinopen, quo a Scythis deferebantur dona, et ex septentrionibus et ex oriente aditus pateret. Certe Welckeri (Th. Gr. II, p. 352 sqq.) de hac re opiniones probare non possum, qui et eosdem atque Germanos illos Hyperboreos fuisse censet et electrum in mari Suevico repertum donis reconditum fuisse opinatur.

---

[1]) Herod. IV, 35. cf. P. I, 31, 2.

[2]) cf. Hom. *I* 533: *καὶ γὰρ τοῖσι κακὸν χρυσόθρονος Ἄρτεμις ὦρσεν*
χωσαμένη, ὅ οἱ οὔτι θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς
Οἰνεὺς ῥέξ᾽. ἄλλοι δὲ θεοὶ δαίνυνθ᾽ ἑκατόμβας.

[3]) Id quod etiam eo comprobatur, quod Dodonam quoque afferebantur auctore Herodoto (IV, 33), ubi Apollinis nullus erat cultus.

Deli igitur Dianae cultus antiquissimis e temporibus tam celeber erat, ut vel remotissimae Asiae gentes dona frugumque primitias eo conferrent. Itaque Persae[1]) quoque, cum in Graeciam proficiscerentur et templa deorum multa diriperent, tamen Delo religiose pepercerunt.

Cum igitur Dianae natura praecipue in creandi facultate posita esset, id anni tempus eius sacrum habebatur, quo maxime naturae immanens vis se praebet, nempe vernum. Qua de causa mensis, qui circa vernum aequinoctium erat, *Ἀρτεμίσιος*, Dorice *Ἀρταμίτιος*, vel *Ἀρτεμισιών* vel *Μουνυχιών* nominabatur[2]).

Denique huius Dianae sacra avis erat coturnix, quia et veris index est, et pullos, qui multi esse solent, eximia cura fovet[3]). Itaque Orthygiae insulae, quae ab hac ave nomen duxerunt, item Dianae sacrae esse putabantur[4]), et ipsa dea *Ὀρτυγίας* cognomen recepit[5]).

De reliquis Dianae symbolis imprimis Ephesiis disseruit Guhlius (Ephes. p. 90 sqq.), de apibus vero conferre iuvat Wenigeri disputationem, quam inscripsit 'Zur Symbolik der Biene' (Progr. gymn. Elisabet. Vrat. 1871).

Transeamus iam ad alteram naturalis Dianae provinciam, cuius iam in superioribus aliquoties mentionem facere coacti sumus, cum in singulis cultibus duae virtutes non modo non diremptae, sed coniunctae fuerint. Aqua Dianae dominationi propterea subiecta est, quod sine aquis nulla agrorum et silvarum fertilitas esse potest. Primitus igitur Diana fontium et rivorum[6]) et lacuum dea erat, postea vero eius regimen etiam in mare patebat, quare Hesiodus (Theog. v. 413) Hecatam dixit *μοῖραν ἔχειν γαίης τε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης*, eandemque et Neptunum conjunctos nautarum precibus invocari[7]). Deinde

---

[1]) cf. Herod. VI, 97.

[2]) Preller, Myth. Gr. I, p. 241.

[3]) cf. Steinthal, Zeitschr. für Psycholog. und Sprachwissensch., II, p. 163.

[4]) O. Müller, de Dor. I, p. 381. Pind. Nem. I, 3.

[5]) Soph. Trach. v. 212.

[6]) cf. Catull. 34, v. 12: 'amnium domina'.

[7]) Hes. Th. v. 440: *καὶ τοῖς οἳ γλαυκὴν δυσπέμφελον ἐργάζονται, εὔχονται Ἑκάτῃ καὶ ἐρικτύπῳ Ἐννοσιγαίῳ.*

et promontoria eius sacra plerumque erant, et portuum tutelam habere putabatur, quare Munychia Diana *λιμενοσκόπος*[1]) dicta est et Callimachus[2]) deam *λιμένεσσιν ἐπίσκοπον* appellat. Ad hanc denique naturam referendum censeo, quod moneta Magnesiae Thessalicae Dianam exhibet in prora consistentem[3]).

Nec tamen maris dominatio Dianae tam prisca videtur, quam illa aquarum terras irrigantium. Nam saepissime in Dianae templis fontes multae aquae erant aut lacus in confinio erant[4]) aut cognomina ad aquam pertinentia dea recepit. *Λιμνᾶτις* primo appellabatur compluribus Peloponnesi locis[5]), ubi videlicet templa ad paludes sita erant. Limnaea vero Diana Sicyone[6]) colebatur. Nulla tamen praeclarior erat, quam Diana Limnatis, quae in Taygeto in Messeniae Laconiaeque confiniis conventibus, sacrificiis certaminibusque usque ad Graecorum extrema tempora sanctissime colebatur[7]).

Deinde *Ἑλείαν* (ab *ἕλος* i. q. *λίμνη* denominatam) Messenae et Alorii in finibus Arcadiae deprehendimus, si quidem O. Muelleri coniecturam (d. Dor. I, p. 379) probamus, cum apud Hesychium[8]) *Ἐλεία* correxerit in *Ἑλεία* et apud Strabonem[9]) *Ἠλείας* in *Ἑλείας*.

Tum ad Laconicam oram Dianae Issorae vel Issoriae cognomen erat, quam ad hanc seriem adnumeramus, quod eadem Limnaea cognominabatur[10]) et cum Neptuno consociata erat. In Taenaro promontorio eius templum erat et Teuthronae, quod oppidum ad oram sinus Laconici situm erat, Diana

[1]) Callim. H. in Dian. v. 259.
[2]) Ibid. v. 39. cf. Eurip. Hipp. v. 228: *δέσποιν' ἁλίας Ἄρτεμι Λίμνας.*
[3]) cf. Archäol. Zeitg., 1849, p. 91, n. 14.
[4]) P. III, 22, 8. cf. Welcker, Theol, Gr. I, p. 581 sqq.
[5]) Prope Tegeam. P. VIII, 53, 11, Epidaurum Limeram. III, 23, 10.
[6]) P. II, 7, 6.
[7]) P. IV, 4, 2. Tacit. Ann. IV, 43. cf. E. Curtius, Peloponnes, II, p. 157. Illius templi locus et ruinae inscriptionesque variae detectae sunt. cf. Fraenkel, Archäol. Zeitg., 1877, XXXIV, p. 28 sq.
[8]) Hesych. s. v. *Ἐλεία.*
[9]) P. VIII, 350.
[10]) P. III, 14, 2. cf. O. Müller, de Dor. I, 374, II, 50.

Issoria colebatur[1]). Erant, qui illud cognomen ex Semitarum lingua derivare conarentur[2]), nempe a rad. asar, i. e. altum sublime esse: quibuscum tamen non faciam, cum tantum montem Issorion, unde Diana cognomen receperit, Phoenicum de lingua nominatum esse censeam.

Denique ad flumina Dianae naturalem vim pertinere testimoniis confirmemus necesse est. Potamia ad Cladeum et Alpheum in Elide nominabatur[3]), a fluminibus certis cognomina receperunt Imbrasia Sami et Alpheusa vel Alpheonia in Elidis litore[4]). Letrinaei vero Dianae Alpheeae, quam ab Alpheo amatam esse dicebant, templum et sacra habebant[5]).

Dianae templa, cum dea esset aquarum et fontium, saepissime ad aquas condita fuisse iam O. Muellerus[6]) adnotavit. Ad aquas Clitorias in Arcadia *Λουσοί* nominatas summo honore Diana semper habebatur[7]). 'Hemerasia' vel 'Hemera' cognomine, quae est 'mitigans' vel 'mitis', quod nomen tum demum, cum perniciosa deae natura explicata erit, recte intellegetur. Fontes in deae fanis erant Corinthi[8]), Marii in Laconia[9]) Mothonae, ubi aquam peto mixtam fluere Pausanias[10]) tradit, ad Derrheatidis templum in Laconia[11]), denique Aulide[12]). Imprimis tepidae aquae fontes Dianae sacrati fuisse videntur, unde *Θερμία* vel *Θερμαία* a Lesbiis appellabatur[13]), cuius in honorem *Θέρμια καὶ πανηγύρεις* celebrabantur, quales etiam Dianae Alpheeae Olympiae fiebant[14]).

---

1) P. III, 25, 4.

2) cf. Schultze, Handbuch der ebräischen Mythol., p. 76.

3) cf. Welcker, Theol. Gr. I, p. 588 sq.

4) Strab. VIII, 343.

5) P. VI, 22, 8 sq. Telesillae de hac re fragmentum apud Hephaest. p. 36, 18: *Ἁ δ'Ἄρτεμις, ὦ κόραι, φεύγοισα τὸν Ἀλφέον.* cf. Pind. Pyth. II, v. 11.

6) De Dor. I, p. 379.

7) P. VIII, 18, 8. cf. Callim. H. in Dian. v. 236. Hesych. s. v. *Ἡμέρα.*

8) P. II, 3, 5.

9) Ibid. III, 22, 8.

10) P. IV, 35, 8.

11) P. III, 20, 7.

12) P. IX, 9, 7.

13) C. I. G. 2172, 2173. Aristid. or. 26, p. 570.

14) C. I. G. 2184—88.

Deinde in Leucophrynes temeno prope Magnesiam lacus tepidae aquae erat[1]) et Thermopylarum litus Dianae sacrum fuisse Sophocles testis est in Trachin. v. 635 sqq. haec locutus: . . . οἵ τε μέσσαν
Μηλίδα πὰρ λίμναν
χρυσαλακάτου τ' ἀκτὰν κόρας,
ἔνθ' Ἑλλάνων ἀγοραὶ
Πυλάτιδες κλέονται.

Denique prope Phigaliam in Arcadia, ubi celeberrimum Dianae, quae Eurynoma nominabatur, fanum erat, tepidi fontes et balneae erant[2]), quare etiam hunc singularem cultum in Dianae naturalis deae religionem facillime inserere possumus. Obstupuerunt plerumque viri docti in eo, quod signum Eurynomae minime Graeco more conformatum esset, cum infra piscis imaginem praeberet aureis vinculis circumligatam[3]). Quamquam haec species ab usitata Dianae forma valde abhorret, quod iam Pausanias adnotavit, tamen peregrinam totius cultus originem, cum natura deae et nomen Dianae par sit[4]), probare non possumus[5]). Id tantum concedi posse videtur signum deae mirabile alieno e cultu receptum quondam esse[6]) sive Cretico sive Asiatico. In Cretico enim Dictynnam similem speciem antiquitus praebuisse et nomen et fabulae[7]) nos docere possunt. Apud Phoenices autem similiter conformata erat dea Dercetis, quae supra feminae, infra piscis speciem praebere putabatur. Itaque deae signum

---

[1]) Xenoph. Hell. III, 2. 19.

[2]) P. VIII, 41, 4: Σταδίοις δὲ ὅσον δώδεκα ἀνωτέρω Φιγαλίας θερμά τέ ἐστι λουτρά, καὶ τούτων οὐ πόρρω κάτεισιν ὁ Λύμαξ ἐς τὴν Νέδαν· ᾗ δὲ συμβάλλουσι τὰ ῥεύματα, ἔστι τῆς Εὐρυνόμης τὸ ἱερόν, ἅγιόν τε ἐκ παλαιοῦ et q. seq.

[3]) P. VIII, 41, 6.

[4]) Cupressorum lucus densissimus circa fanum erat.

[5]) cf. Stark, Gaza, p. 290. cf. praeterea Creuzer, Symbolik II, p. 583. Lobeck, Aglaoph. p. 398. Welcker, l. l. I, p. 589.

[6]) Berolinensi in museo gemmam vidi nuper adscitam (catal. num. non legi), quae hanc Eurynomam exhibere mihi videtur. Femina enim apparet vinculis circumligata in piscem corpus desinens, quae dextra λαγωβόλον amplectitur, quod nihil nisi Dianae symbolum esse potest.

[7]) P. II, 30, 3. Callim. H. in Dian. v. 189 sqq.

aut a Cretibus aut a Phoenicibus confectum et apportatum esse probabile est.

Dianae ut aquarum dominae pisces sacri habebantur et cancri[1]), illi quidem magis ad deam marinam vel Potamiam, hi ad Limnaeam referendi. Cancri in Ephesiae signis non raro inveniuntur, pisces vero pulcherrimam illam imaginem circumdant, qua nummi Syracusani signati sunt. Iam O. Muellerus (d. Dor. I, p. 380 not. 3) Dianam Potamiam illa formosissima facie repraesentari opinatus est, cum alii eandem Arethusam fontis celeberrimi nympham nominarent: ea autem nihil aliud est nisi Dianae paulo abalienata species, cum omnes nymphae Dianae quasi partes sint. Dianam vero ipsam in Ortygia insula, ubi fons Arethusae erat, maxime celebratam fuisse Pindarus testis est, qui Ortygiam (Pyth. II, v. 7) *ποταμίας ἕδος Ἀρτέμιδος* et (Nem. I, v. 3) *δέμνιον Ἀρτέμιδος* nuncupat.

Caput VIII.

De Diana animalium gignendorum et nutriendorum tutelari numine.

Ad tertiam iam Dianae, naturalis antiquissimae deae, provinciam pergamus, quae animalium omnium pariendorum et nutriendorum cura continetur. Eandem enim vim, qua quotannis denuo fructus agrorum et arborum procreentur, etiam in hominibus bestiisque efficacem esse cogitabant, ut prolem animantia gignant, qua quidem in re totius mundi salus constat. Itaque Diana antiquitus genitalis quaedam dea est, quae partus animalium curat, qua vi instructa summam et adiuvandi et nocendi potestatem obtinet.

Falso adhuc hanc Dianae indolem a lunari natura, quam principalem existimabant, fluxisse mythologi plerique arbitrati sunt veterum opiniones secuti. Cicero (d. nat. d. II, 19, 50) de luna scripsit: 'Multa ab ea manant et fluunt, quibus et animantes alantur augescantque et pubescant

[1]) cf. Guhl, Ephes. p. 90 sqq.

maturitatemque adsequantur quae oriuntur e terra'. Sed antiquissimas illas gentes, quae Dianae numen excogitaverunt, eadem sensisse vix credibile est, praesertim cum in vetustissimis de hac Dianae natura testimoniis minime lunae ulla mentio facta sit. Deinde nostra, qua hanc Dianae naturam explicamus, ratio perspicuitate ipsa satis commendatur et conexu singularum deae virtutum optime munitur. Contra quam perverse Welckerus hanc Dianae vim explicat, cum dicat (Th. Gr. II, p. 400): 'Eine dritte grosse Würde ging, nachdem die Herrschaft des Mondlichts auf sie zurückgebracht (?) war, auf die keusche Jägerin über von den Mondgöttinnen, wie in Brauron und Munychia, die Geburtshilfe!' Primum Brauronia dea non lunaris est: deinde quomodo virginem venatricem obstetricis quasi officio functam esse cogitari potest? 'Dem mystischen Gefühl war das scheinbar Widersprechende eher zusagend als anstössig,' quod Welckeri responsum improbabile videtur. Denique Deli, ubi illa Letois Diana virgo postea maxime colebatur, Dianae Ilithyiae cultus antiquissimus erat, neque ex Attica aliave Graeciae regione adscitus. Itaque hac ratione rem explicandam esse censeo: Diana cum paulatim in Graecorum religione virginis speciem induere coepisset, ad illud antiquissimum officium tanquam obstetricium minus idonea esse visa est, quare hanc Dianae genitalem naturam in peculiarem numinis formam redigebant eamque Ilithyiam appellabant, quamquam quibusdam in regionibus Diana parturientium dea diu religiosissime colebatur. Quomodo Ilithyia e Dianae numine evaserit, infra accuratius explicabimus, posteaquam Dianae ipsius quasi Lucinae naturam testimoniis comprobaverimus.

Homerus quidem et Ilithyiam nominat, et Dianae in matres parturientes vim commemorat eamque perniciosissimam, describit[1]), *ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶν Ζεὺς θῆκεν καὶ ἔδωκε κατακτάμεν ἥν κ' ἐθέλῃσθα*, quem locum recte Pausanias (IV, 30, 5) interpretatur *Ἄρτεμιν γυναικῶν ὠδῖσιν εἶναι φοβεράν.* Discernit igitur Ilithyiam tanquam propitiam deam a Diana, quae in

[1]) Φ 433.

Iliade ubique adversariam naturam praebet. Deinde scolion vetus[1]) extat, quod Dianam, ἃ γυναικῶν μέγα ἔχει κράτος, praedicat. Praeclarissime vero Sophocles (Oed. Reg., v. 160 sqq.) Dianae hanc naturam mulierumque labores describit et deae supplicantem et implorantem chorum facit, ut aegrotas reficiat feminas Diana salutemque benigne restituat:

παιὰν δὲ λάμπει στονόεσσά τε γῆρυς ὅμαυλος·
ὧν ὕπερ, ὦ χρυσέα θύγατερ Διός,
εὐῶπα πέμψον ἀλκάν.

Quibus verbis non solum nocendi et perdendi sed etiam adiuvandi facultatem Dianae esse probatur, id quod praeterea cognomina multa indicant, velut εὔλοχος[2]), ὠκυλόχεια[3]), ὠνίδων ἐπαρωγέ[4]), μογοστόκος[5]), σοωδίνα[6]). Eandem partuum praesidem indicat λοχία cognomentum[7]), eandem Latini poetae praedicant, Catullus et Horatius, religiosissimis uterque verbis[8]). Aeschylus autem in appellanda hac Diana cognomine utitur Ἑκάτης[9]), quo vestutiorem Dianae formam exhibere videtur, cum nondum illam ab Hecata disiungat. Huius Dianae vel Hecatae figuras ad domus prope ianuas affigere solebant, unde nomen Prothyraeae ei inditum est. Natura vero huius deae minus lunaris, quam genitalis erat, cuius rei Orphicus in Prothyraeam hymnus (II) argumenta praebet, in quo dea ipsa Ἄρτεμις Εἰλείθυια nominatur. Nihil in eo inest, quod ad lunae quasi magicam in mulieres vim referendum sit, quam totius huius religionis fundamentum esse mythologi falso putabant[10]).

---

1) Apud Athen. 15, 50.

2) Eur. Hipp. 166.

3) Hym. Orph. 36, v. 8.

4) Ibid. v. 4.

5) Theocr. 27, 29. De etymologia cf. Goebel, Lex. II, p. 119.

6) C. I. G. 1595.

7) Eur. Suppl. v. 958. C. I. G. 3362, 7032; λοχεία C. I. G. 1768; λοχείη Hym. Orph. 36, 3.

8) Catull. c. 34, v. 13 sq. Hor. carm. III, 22, 2 sqq. Carm. Saec. v. 13 sqq.

9) Suppl. v. 676.

10) Neque Euripidem (Troad. v. 323), qui deam invocet ὦ Ἑκάτα φάος, lunam respexisse censeo.

Vulgo autem hanc parturientium deam Ilithyiam[1]) Graeci nominabant iam Homeri temporibus, qui et plurali numero Ilithyias laudat[2]) et Iunonis filias eas facit[3]). Quam ob rem et quia Iuno duobus locis Ilithyia[4]) appellatur, eam Iunonis quasi hypostasin esse mythologi excepto[5]) Gerhardo censuerunt, qui Dianae similiorem eam esse dixit. Ac profecto Ilithyiae numen e Dianae antiquissima specie evasisse videtur. Primum enim Deli Ilithyia antiquitus colebatur[6]), in quam Olen quondam hymnum condidisse fertur, in eadem insula, ubi Dianae cultus ex antiquissimis temporibus vigebat, et ex Hyperboreis deam ad Latonae partum venisse fabulabantur[7]): idem de Arge et Opi Hyperboreis virginibus, quae deae ipsius species sunt, narrabatur. Itaque verisimile est deas Deli cultas et eandem naturam exhibentes, Ilithyiam et Dianam Deliam, ad unum vetustius numen, quod ambas amplexum sit, referendas esse. Deinde Spartae quoque propter Orthiae fanum Ilithyiae aedes erat oraculi Delphici iussu condita[8]). Item Argis Ilithyiae fanum fuit haud procul ab Hecatae fano conditum, ut duo illa templa eiusdem deae fuisse videntur, sed ab diversis gentibus condita[9]). Ilithyiae enim sacellum, quod Helena condidisse fertur, Lelegum fuisse putaverim. De Hecatae quidem templi origine Pausanias nihil tradidit, quare opiniones proferre desistimus. Tum Ilithyia, quae cum numine Sosipoli nominato cultum Olympiae sanctissimum habebat[10]), Dianae bellicosae, de qua infra dicendum nobis est, consimilis videtur, cum ab Eleis Arcades defendisse tradatur.

---

[1]) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 421. De etymologia cf. Goebel, Lex. II, p. 119.

[2]) Hom. *Σ*, v. 119.

[3]) *I*, v. 271. cf. P. I, 18, 5.

[4]) cf. Preller, l. l. not. 2.

[5]) cf. Prodromus p. 33 sq.

[6]) P. I, 18, 5.

[7]) Herod. IV, 35. cf. Hymn. Hom. in Apoll. v. 115.

[8]) P. III, 17, 1. cf. praeterea III, 14, 6.

[9]) P. II, 22, 6 sq.

[10]) P. VI, 20, 2—5.

Ilithyiae statua Aegis posita facem gerebat[1]), id quod Pausaniae excitat coniecturam minus probabilem, cui tamen recentiores assentiuntur[2]). Mihi vero taeda Ilythyiae signis propterea addita videtur esse, quod Ilithyia quasi Dianae numinis particula erat, cuius taeda propria fuit. Denique Diana ipsa Ilithyiae cognomine vocatur[3]), qua re eandem deam Dianam et Ilithyiam etiam postea habitas fuisse indicatur.

Sed hac in re forsitan quispiam roget, unde pluralis Ilithyiarum numerus exstiterit, cum Diana singularis sit dea: Ilithyi*ae* enim iam apud Homerum leguntur[4]). Nihil difficultatis est: nam vel Dianae nominis pluralis numerus in hac ipsa Ilithyiarum notione legitur in tabula Lebadeensi[5]), quae et memoria et explicatione dignissima mihi videtur esse. Hic pluralis Dianarum numerus non depravato e cultu ullo originem duxit, sed antiquitatem olere videtur. Qua ratione iam supra Dianam naturalem deam in Nympharum innumerabilem turbam quasi dismembratam esse notavimus, eadem haec genitalis deae Dianae species in complures deas abiit. Nam suam quaeque sibi femina deam tutelarem esse putabat[6]), quare in universum pluralis earundem dearum numerus i. e. Dianae vel Ilithyiae (*Ἀρτέμιδες*) credebantur. Haec sententia antiquissimae religionis propria est, quod homines facilius singulas res discernere, quam rerum universitatem cogitando complecti possunt. Talia igitur numina non solum feminarum sed etiam marium tutelaria et ab Ariis credebantur, Fravashi Persice nominata, et a Romanis,

---

[1]) P. VII, 23, 6: *Ἐλλειθυίᾳ δὲ εἰκάσαι τις ἂν εἶναι δᾷδας, ὅτι γυναιξὶν ἐν ἴσῳ καὶ πῦρ εἰσὶν αἱ ὠδῖνες· ἔχοιεν δ' ἂν λόγον καὶ ἐπὶ τοιῷδε αἱ δᾷδες, ὅτι Ἐλλειθυιά ἐστιν ἡ ἐς φῶς ἄγουσα τοὺς παῖδας.*

[2]) Gerhard, Prodrom. p. 33. Preller, Myth. Gr. I, p. 422.

[3]) C. I. G. 1537, 1596 sq. Hym. Orph. II, v. 12. Callimach. H. in Dian. v. 21. Anthol. Palat. 6, 242, 271.

[4]) *Τ* 119, *Λ* 290, *τ* 188.

[5]) C. I. G. 1598: *Ἀγαθῇ τύχῃ. Αὐρ. Παρμένων καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ Αὐρ. Εἰσιδότη Ἀρτέμισιν πρᾳαις χαριστήριον.*

[6]) cf. Hymn. Orph. II, 6: *ἣ κατέχεις οἴκους πάντων*, sc. Diana Ilithyia vel Prothyraea.

qui Genios virorum Iunones[1]) feminarum numina appellabant. Quodcum duo hi Indogermanici populi, inter quos Graeci habitabant, tales peculiares deos venerarentur, etiam Graecos tali religione usos esse apparet neque mirabimur, quod Ilithyiarum et Dianarum vel pluralem numerum legimus, dummodo ne putemus duas vel tres plurali deas significari, cum plane indefinitus numerus cogitetur.

Dea partuum praeses etiam Genetyllis[2]) nominatur, cuius item pluralis numerus saepe extat[3]). Quae quamquam iuxta Venerem cultae sunt, tamen Dianae vel Hecatae similiores eas fuisse Prellerus recte monet[4]).

His argumentis probasse mihi videor Ilithyiam Dianae speciem esse in peculiaris numinis personam redactam, quam mythologos, quibus Cicero (d. nat. d. III, 23, 58) usus est, secuti primam Dianam nominare possumus (Iovis et Proserpinae filiam), 'quae pennatum Cupidinem genuisse dicitur'. Cupido enim in Olenis carminibus Ilithyiae filius perhibebatur[5]).

Huius Dianae, quae partui praeerat, cognomen Iphigeniam fuisse constat, quod ipsum nomen Ἰφι-γένεια eam significat, quae vi in pariendo insignis est. Homerus quidem hanc Agamemnonis filiam, quae vulgo perhibebatur, Iphianassam nuncupat i. e. 'vi regnantem', quo nomine eandem quondam deam significatam esse apparet. Postea in sororem Iphigeniae mutata est, quod primo in Cypriis carminibus factum esse traditur[6]). De Iphigenia vero fabulae primitus

---

[1]) cf. Plin. Nat. Hist. II, 7. Ceterum Iuno Romanorum Dianae Graecorum antiquissimae deae fere par est, cum et Lucinae sub nomine partus curet et hastata bellicam praebeat naturam, qualem Dianae esse infra docebimus.

[2]) Aristoph. Nub. v. 52. Lys. v. 2.

[3]) Aristoph. Thesm. v. 130. Suid. s. v.

[4]) Myth. Gr. I, p. 299, not. 3: 'eine Ausgeburt des Artemis- oder Hekatedienstes.'

[5]) P. IX, 27, 2: Thespiarum nummi, ubi Cupido eximie colebatur, lunula, Dianae symbolo incudebantur. cf. Archäol. Zeitg., 1848, tab. 9 n. 13.

[6]) cf. Köchly, praef. in Eurip. Iph. Taur. p. 28.

Aulide et Braurone narrabantur, quae loca Dianae cultu pariter insignia erant. Illic enim Iphigenia immolata esse dicebatur, hic signum deae Tauricae reversa deposuisse. In illa fabula Iphigenia quasi puella Dianae dedicata est, in Brauronia vero quasi deae sacerdos. Sed tamen divina eius natura non solum nominis etymologia sed etiam aliis argumentis comprobatur. Divinorum enim honorum particeps erat, cum Megarae eius fanum esset[1]) et Aegirae in Achaia eius simulacrum in Dianae templo constitutum esset[2]). Hermionae vero Diana hoc ipso Iphigeniae cognomine appellata erat[3]) Pausania auctore, qua in re antiquissima Iphigeniae natura comparet. Idem Hesiodum in Catalogo mulierum Iphigeniam minime mortuam commemorasse tradit[4]). Constat igitur Iphigeniam ex antiquissima veterum religione Dianam ipsam fuisse, quare Scythae deam, quam colebant, Graecis interrogantibus, quae sit, quasi Iphigeniam esse recte interpretabantur[5]).

Quodcum Diana partuum praeses esset, imprimis a maritis feminis cultam eam esse manifestum est: precibus adibant matres deam ante partus, gratias deae agebant bene partu perfecto. Saepissime vero vel dona deae offerebant sive vestimenta sive tabulas sculptas inscriptionibusque instructas[6]). Vel puerperarum, quae pariendo mortem obierant, vestimenta in Dianae templis deponebantur, quem morem in

---

[1]) P. I, 43, 1. cf. Welcker, Theol. Gr. II, p. 400 sqq.

[2]) P. VII, 26, 5.

[3]) P. II, 35, 1.

[4]) P. I, 43, 1: *Λέγουσι δὲ* (sc. *οἱ Μεγαρεῖς*) *εἶναι καὶ Ἰφιγενείας ἡρῷον· ἀποθανεῖν γὰρ καὶ ταύτην ἐν Μεγάροις· ἐγὼ δὲ ἤκουσα μὲν καὶ ἄλλον ἐς Ἰφιγένειαν λόγον ὑπὸ Ἀρκάδων λεγόμενον, οἶδα δὲ Ἡσίοδον ποιήσαντα ἐν καταλόγῳ γυναικῶν Ἰφιγένειαν οὐκ ἀποθανεῖν, γνώμῃ δὲ Ἀρτέμιδος Ἑκάτην εἶναι.*

[5]) Herod. IV, 103. P. I, 43, 1.

[6]) C. I. Gr. 1595—1598. cf. Anth. Palat. VI, 271:

Ἄρτεμι, σοὶ τὰ πέδιλα Κιχησίου εἴσατο υἱός
καὶ πέπλων ὀλίγον πτύγμα Θεμιστοδίκη
οὕνεκα οἱ πρηεῖα λεχοῖ δισσὰς ὑπερέσχες
χεῖρας ἄτερ τόξου, πότνια νισσομένη.

Iphigeniae honorem usitatum Braurone fuisse Euripides docet:

καὶ πέπλων
ἄγαλμά σοι θήσουσιν εὐπήνους ὑφάς,
ἃς ἂν γυναῖκες ἐν τόκοις ψυχοῤῥαγεῖς
λείπωσ᾽ ἐν οἴκοις.

In compluribus inscriptionibus Dianae cognomen *Σώτειρα*[1]) imponitur, quod ad bene perfectos labores pertinere manifestum est: hos vero labores puerperarum fuisse facile conicere possumus, cum etiam Diana *Σοωδίνη* appellaretur[2]). Sed huius cognominis notionem modo explicatam tantum in cultu privato valere censuerim, cum publici Dianae Sospitae cultus alia ratione melius explicari possint. Poetae deinde Dianam *λυσίζωνον* appellabant[3]), quasi eam, quae virginum zonas solvat. Nonnulli[4]) denique cognomen *Χιτώνη* vel *Χιτωνία*, quo Diana Athenis, Mileti, Syracusis nominabatur, inde derivare voluerunt, quod vestimenta Dianae in templa a feminis conferebantur ut partuum feliciter perfectorum signa. Verisimilius autem videntur haec cognomina a signorum forma dempta et in deam ipsam tralata esse[5]). Erant enim deae statue, quae uno videbantur chitone indutae et fere non velatae formae speciem praebebant. Tales figurae, quae Veneris non dissimiles erant, Chitoniae nomen duxisse videntur.

Huius Chitoniae in honorem Syracusis peculiares saltationes fiebant[6]), qua re publicus quidam cultus indicatur. Adhuc enim tantum de privato Dianae genitalis deae cultu egimus, sed permultis locis etiam publicae caerimoniae fiebant, quarum usitatissimae erant puellarum saltationes. Semper enim Diana non solum maritas feminas sed etiam puellas pubescentes tueri credebatur, quare puellae et gratias

---

1) C. I. G. 1052 add. b, 1063, 2481 et add. b, 5941. cf. Suid. s. v.

2) C. I. G. 1595. cf. Mitscherlich, de Diana Sospita. Gött. 1821.

3) Schol. Apoll. Rhod. 1, 288. Suid. s. v. Ante nuptias enim zonas virgines deae dedicare solebant.

4) Preller, Myth. Gr. I, p. 248.

5) cf. Welcker, Th. Gr. I, p. 575 sq.

6) Athen. 14, p. 619 c.

et preces deae deberent. Itaque in publico Dianae cultu saepissime puellarum choreae adhibebantur, quarum iam Homerus (*Π* v. 183) mentionem facit. Deli antiquissimis iam temporibus choreae hymnos in Apollinem et Latonam et Dianam canebant[1]). Notissima deinde est Brauronii cultus caerimonia, quae *ἀρκτεία* nominabatur[2]). Cumque Diana simul naturalis dea esset, fructus ei a puellarum choreis in canistris offerebantur, unde *κανηφορία* ritus vocabatur, qui Athenis[3]) alibique exercebatur, velut Caryis in Laconia. Similiter Spartanorum puellae in Dianae templo choros ducebant, sed minus graviter et sollemniter, quam in publico loco, vel interdum lascive et quasi Bacchice[4]). Is vero ritus tripudiorum lascivorum tum demum extitisse videtur, cum Bacchici cultus vulgarentur, Asiaticique mores a Graecis reciperentur. Lydorum enim tales saltationes erant. Imitatas eas esse Dianam nympharumque turbam per saltus venandi causa vagantem Welckerus (Th. Gr. II, p. 392 sq.) existimat.

Deinde Diana a nutricibus Lacedaemone colebatur, quae liberos divinae benevolentiae commendabant, ut morborum pericula dea ab eis arceret[5]), quae sollemnia *Τιθηνίδια* vocabantur[6]). Diana autem, cui haec sacra fiebant, *Κορυθαλία* vel *Κορυθάλεια* cognominata erat, quod nomen mihi idem significare videtur, quod *Κουροτρόφος*, quo ipso cognomine Diana appellabatur[7]) et Hecata[8]) et Ceres[9]). 'Curotrophus' vel omisso nomine proprio appellabatur velut ab Aristophane Thesmoph. v. 297, ubi scholiasta Terram Matrem significari

---

[1]) Hymn. Hom. in Apoll. v. 159. cf. Herod. IV, 35,

[2]) cf. Suchier, de Diana Brauronia, p. 26 sqq.

[3]) cf. Aristoph. Lysist. v. 646.

[4]) Schol. Eur. Hec. v. 915: *αἱ Δωρίδες κόραι ἐρχόμεναι εἰς τὸν ναὸν τῆς Ἀρτέμιδος ἐνθουσιῶσαι μετὰ ἑνὸς μόνον χιτῶνος ὠρχοῦντο.*

[5]) cf. Hymn. Orph. 36, v. 15 et v. 7.

[6]) Athen. 4, 139 a, b.

[7]) Hymn. Orph. 36, v. 8: *βροτῶν κουροτρόφε δαῖμον.* Diod. V, 73: *Ἄρτεμιν δέ φασιν εὑρεῖν τὴν τῶν νηπίων παιδίων θεραπείαν καὶ τροφάς τινας ἁρμοζούσας τῇ φύσει τῶν βρεφῶν· ἀφ' ἧς αἰτίας καὶ κουροτρόφον αὐτὴν ὀνομάζεσθαι.*

[8]) Hesiod. Theog. v. 450 sq. Hym. Orph. I, v. 7.

[9]) Hym. Orph. 40, v. 2. Hesych. s. v.

dicit[1]). Rectius autem Dianam mea quidem sententia nominasset, quae cum Mercurio coniungi solet, id quod illo loco factum est. Diana enim ipsa in illorum deorum numero, qui ibi vocantur, non est. Itaque deam nostram etiam infantium curam habere cogitabant, quod officium videlicet cum illo, quo dea matres in pariendo adiuvat, arte cohaeret.

Denique quemadmodum puellis patrocinatur, sic vel adolescentes perpetua cura prosequitur eosque exercitationibus validos reddit. Itaque Diana etiam gymnasiorum praeses interdum se praebet[2]), unde Elide *Φιλομεῖραξ* vocabatur[3]), eiusque templum prope gymnasium erat.

Imprimis autem, cum equorum curam haberet, qualem paulo infra describemus, certaminibus quadrigariis interesse victoriamque praebere Diana putabatur, qua de re Pindarus eam magnifice praedicat Pyth. II, v. 11 sqq.

Dianae signa, quae ad hanc eius naturam referenda sunt, aut erecta figura conformata erant, aut sedentis in solio feminae speciem praebebant et polo sive modio instructa erant, quo symbolo dea naturalis significatur. Tales vero figurae minus in publicis templis quam in privatorum sacrariis adhibebantur, cum ex ipsius deae natura hic *γυναικείας θεᾶς* cultus magis ad familias singulas quam ad universam civitatem pertineret. Itaque plurimas quidem Dianae huius figuras parvas figlinas habemus, nullum vero magnum opus. Illarum autem figurarum Berolinensis musei in antiquario magnus numerus conservatur, quibus quamquam nondum certo Dianae nomine definitae sunt, tamen huius deae nomen imponendum esse compluribus argumentis probare possum. Primo quidem adiectiva *χρυσόθρονος*, *εὔθρο-*

---

[1]) 'Ge Curotrophos' etiam apud P. I, 22, 3.

[2]) Hesiod. Theog., v. 435—8. cf. Hom. *υ*, v. 71. Eur. Hipp. v. 228:

Δέσποιν' ἁλίας Ἄρτεμι Λίμνας
καὶ γυμνασίων τῶν ἱπποκρότων
εἴθε γενοίμαν ἐν σοῖς δαπέδοις
πώλους Ἐνέτας δαμαλιζομένα.

[3]) P. VI, 23, 8. Ex Welckeri sententia (II, p. 404): 'mit Anspielung des Volkswitzes auf die spröde, keusche Göttin,' quod minus putem.

νος, quae Dianae tribuebantur, satis indicant deae fuisse statuas in solio sedentis. Deinde illae figurae praecipue in Boeotia repertae sunt Tanagrae[1]), Plataeis[2]), Thespiis, ubi Dianae cultum popularem fuisse scimus. Tum nonnullae figurarum illarum bestiam in gremio tenent[3]), id quod nulli deae convenit nisi Dianae: aliae statuae infantem habentes fictae sunt[4]), qua re *κουροτρόφον* facile agnoscimus. Denique illas deas cum Mercurio coniunctas videmus in parvulis sacrariis domesticis, cumque hunc deum cum Diana naturali vel genitali non raro composuerint poetae, femineam sociam Dianam in illis sacrariis esse verisimillimum est[5]).

Adhuc illam tantum Dianae naturam descripsimus, quae ad hominum partus et vitam pertinet. Restat igitur, ut iam Dianae bestiarum curam, quam Graeci antiquitus eius esse credebant, accuratius definiamus. Quodcum Diana in universum naturae vim genitalem contineat, non solum in hominum generatione et educatione efficacem deam se praebere, sed etiam bestiarum genus fovere consentaneum est. Namque etiam ad hominum salutem bestiarum copia pertinet, imprimis si nationes venando aut pascendo victum quaerant, id quod antiquissimas Graecorum gentes fecisse constat[6]). Itaque et ferae et cicures bestiae Dianae sacrae erant. Fovebat omnes pariter dea, quippe quae naturae immanens vis esset. *Δρόσοις ἀέπτοις μαλερῶν τε λεόντων πάντων τ' ἀγρονόμων φιλομάστοις θηρῶν ὀβρικάλοισιν τερπνά*, ab Aeschylo (Agam. v. 141 sqq.) praeclare invocatur.

Itaque in Dianae honorem vel ferae ad templa deae

---

1) Berol. Musei antiq. n. 6303, 7104.

2) Ibid. n. 5786, 5787.

3) Ibid. n. 6262.

4) Ibid. n. 334, 6265 Piraei inventa. Alia Dianae sedentis sigilla existimem n. 3494 Athenis, 7643 Halis in Locride inventa figura antiquissima supra annulo instructa Tanagrae inventa (n. 7595) Dianae *'Απαγχομένης* (P. VIII, 23, 6) nos monet.

5) cf. Hesiod. Theog. v. 444—7. Pind. Pyth. II, v. 18. Mus. Berol. antiq. n. 6678, 7423.

6) Aliter Welckerus Dianam bestiarum praesidem explicat. cf. Th. Gr. I, p. 590.

fovebantur[1]) et ferarum hostiae adhibebantur[2]), vel pecora Dianae consecrabantur, quod sic pinguiora illa fieri putabant[3]). Similiter Hesiodus Hecatam ob hanc virtutem laudat:

ἐσθλὴ δ' ἐν σταθμοῖσι σὺν Ἑρμῇ ληΐδ' ἀέξειν
βουκολίας τ' ἀγέλας τε καὶ αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν
ποίμνας τ' εἰροπόκων ὀΐων, θυμῷ γ' ἐθέλουσα,
ἐξ ὀλίγων βριάει καὶ ἐκ πολλῶν μείονα θῆκεν

quae verba Hecatae Hesiodeae et Dianae antiquissimae similitudinem maximam indicant.

Primum iam feras, quas venabantur, deae consecratas habebant, nempe lepores et cervos aliasque bestias, velut apros et ursos. De lepore rectissime Stickelius (d. Mon. Graechw. p. 11) dicit, 'Er ist das jagdbarste Thier und wird daher als Symbol aller übrigen Jagdthiere benutzt, um die Göttin, welche die Menschen mit Nahrung versorgt, so zu kennzeichnen, als die, welche diese Thiere dem Menschen giebt.' Eadem de causa cervus Dianae sacer habebatur[4]) et saepissime deae figuris addebatur[5]). Neque enim intellegere possum veteres Graecos Dianae ob id tantum cervos consecrasse, quod eorum pelles punctis ornatae caeli nocturni speciem praeberent, quam sententiam nonnulli probaverunt. Ad immolationes vero cervos Graeci minus adhibebant[6]), quod Babylonii fecisse traduntur[7]), qui ut semper hostiarum haberent copiam, ad templa deae cervos nutriebant. A cervis Diana apud Eleos cognomen recepit Elaphiaeae[8]), ut iam Pausanias recte opinatus est. Deinde huius Dianae in honorem

---

[1]) Polyb. IV, 18, 10.

[2]) P. VII, 18, 12.

[3]) P. X, 37, 5: *ὁπόσα δ' ἂν τῶν βοσκημάτων ἱερὰ ἐπονομάσωσιν εἶναι τῇ Ἀρτέμιδι ἄνευ νόσου ταῦτα καὶ πιότερα τῶν ἄλλων ἐκτρέφεσθαι λέγουσιν* (sc. Hyantes.). cf. Callim. Hym. in Dian. v. 130 sq.

[4]) P. VIII, 10, 10: *τὴν ἱερὰν τῆς καλουμένης Δεσποίνης ἔλαφον.*

[5]) cf. Mion. III, 174—192, 159, 211, 258; VI, 400, 441. cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 261, n. 3.

[6]) cf. Movers, de Phoen. I, p. 406.

[7]) Arrian. Exped. Alex. VII, 20: E Graecis tantum Athenienses cervos immolabant. cf. Bekker, An. I, 249 et Patrenses. P. VI, 18, 12.

[8]) P. VI, 22, 10: *Ἐλαφιαίαν δὲ ἐκάλουν οἱ Ἠλεῖοι τὴν Ἄρτεμιν ἐπὶ τῶν ἐλάφων, ἐμοὶ δοκεῖν, τῇ θήρᾳ.*

Elaphebolia celebrabantur, quae sollemnia mensi verno, quo fiebant, nomen indiderunt Elapheboliouis, qui idem ab Eleis Elaphius vocabatur [1]). Cervos autem illo verno tempore propterea venabantur Graeci, ne segetibus ferae nocerent [2]).

Deinde apri Dianae sacri erant, quibus dea ad puniendos homines usa esse fertur, ut segetes agrorumque fructus hominibus deperderet [3]). Itaque quasi irascentis deae symbolum hae bestiae sunt et formidolosae, de qua proximum caput conferas. Celeberrimus autem erat Calydonius aper [4]), quem dea in Aetoliam immisisse dicitur, ut Oeneum puniret, qui soli Dianae frugum primitias sacrificare omiserat.

Tum ursus, de quo iam diximus, Dianae consecratus erat [5]). Ad Cyzicum mons erat *Ἄρκτων ὄρος*, ubi fanum Dindymenae matris erat, Phrygicae deae, quam eandem ac Dianam priscam fuisse censemus [6]). Atalanta, Dianae amica atque illustrissima venatrix, ab ursa nutrita esse fertur [7]). Callisto, in qua deae ipsius speciem latere cognovimus, in ursam mutata esse perhibetur [8]). Ursa vero eximia pullorum cura insignis optimum *γυναικείας θεᾶς* symbolum videbatur, quare Atheniensium puellae Dianae Brauroniae in honorem choros ducentes ursarum speciem pellibus et posteriore aetate croceis vestibus indutae imitabantur [9]), *ἄρκτοι* ipsae nominatae.

Quas adhuc nominavimus, ferae Dianae et sacrae habebantur et symbolice simulacris addebantur. Praeterea in his symbolicis ad Dianam pertinentibus bestiis leonem numeramus, qui non solum speciosissimum sed etiam antiquissimum Dianae symbolum est. Profecto Dianae, quae *δέσποινα*

---

1) P. V, 13, 11.
2) Schoemann, Antiqq. Gr. II, p. 479.
3) P. I, 27, 9.
4) Hom. *I*, 533 sqq.
5) cf. de urso Bachofen, Der Bär in den Religionen des Alterthums, 1863, qui quidem omnia symbolice explicando ultra fines iustae rationis progreditur.
6) Strab. 12, p. 575.
7) Apollod. III, 9, 2. Aelian. var. hist. 13, 1.
8) P. VIII, 3, 6.
9) Suchier, De Dian. Braur. p. 33 sq.

et *βασίλεια* nominatur, optime convenit, cum leonem propter maiestatem et robur quasi regnum bestiarum obtinere arbitremur[1]). Reminiscamur autem leones in simulacris et litteris proprios esse Rheae Cybelae[2]), quam Phrygiam deam antiquissimae Dianae consimilem fuisse probavimus. Deinde Callisto, si Euripidem sequimur[3]) non in ursam sed in leaenam commutata est, unde facile colligi potest etiam leones Dianae sacros fuisse. Tum antiquissima Dianae extant monumenta, in quibus dea leones, vel leonem et pardalim aliamve bestiam manibus cohibens ficta est[4]), quale describit Pausanias in arca Cypseli[5]). Plerumque tales figurae alatae erant, ut noctis tutela alis significaretur (cf. p. 48 sq.). Falsum vero mihi videtur esse eas figuras Persicas Dianas nominare. Quamquam enim hoc schema Asiaticam compositionem olet, tamen neque omnino Assyricum opus putaverim, neque id Graecos ab Assyriis mutuatos esse probem. Satis enim multis Graeciae locis talia signa inventa sunt et plurimae eiusdem schematis conformationes extant, cum non solum quadrupedes bestiae sed etiam aves ad deae figuras additae sint. Itaque antiquissimos Graecos talia monumenta ipsos confecisse, iisque notionem tribuisse neque tantum eis ut ornamentis usos esse negari non potest. An arcam Cypseli a peregrino artifice confectam esse aut in ea asiaticas fabulas delineatas fuisse censes?

---

[1]) cf. Herod. V, 52 *β*. Aesch. Ag. vv. 717, 1258.

[2]) Preller, Myth. Gr. I, p. 539.

[3]) Hel. v. 379.

[4]) Hanc leonticam deam, quam in Attico et Tanagraeo cultu reperimus (cf. Conze, Archäolog. Zeitg. 1880, fasc. I, p. 1 sqq.), Deorum Matrem appellabat Conze, Wieselerus Hecatam, equidem malim antiquissimam Dianam. Posteriore autem tempore in solio, cui utrimque leones adstant, sedens ficta est. Comprobatur haec sententia inscriptione tali monumento addita, de qua cf. *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη τῆς εὐαγγελικῆ σχολῆς* Smyrnae 1880. Per. III, p. 163, ubi sub n. *τλά* inscriptio promulgatur *Δήμητρα — Ἄρτεμις — Νίκη*, quae verba leguntur *ὑποκάτωθι ἀναγλύφου παριστῶντος ἐν τῷ μέσῳ μὲν γυναῖκα καθημένην ἐπὶ θρόνου ὑπο δύο λεόντων βασταζόμενον καὶ φέρουσαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς στέμμα, δεξιόθεν δὲ ἑτέραν ἱσταμένην* et quae sequuntur.

[5]) P. V, 19, 5: *καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ κατέχει πάρδαλιν, τῇ δὲ ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν λέοντα.*

Talibus igitur monumentis docemur leones Dianae sacros fuisse, quare Homerum, cum de Diana dixerit: ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶν Ζεὺς θῆκεν, certe illius Dianae symboli meminisse concedendum erit. Similiter non sine ratione ante templum Dianae Eucleae Thebis leonem positum fuisse[1]) putaverim.

Illis figuris etiam antiquissimum celeberrimumque monumentum adnumero, cuius ratio adhuc nondum satis perspecta est, quamquam doctissimi viri de illo multa coniecerunt: dico Mycenarum grande monumentum, quae vulgo leonum porta vocatur. Neque enim columnam, quae in medio posita est, neque leones per se interpretari possumus, sed conexus, qui inter duas monumenti partes intersit, primo ratio habenda est. Itaque errant et ei, qui columnam pro Mercurii[2]) aut Apollinis Agyei symbolo habent, cum leonum explicationem probabilem praestare non possint, et ei, qui stelam minoris esse momenti arbitrantes totum monumentum signum symbolumque urbis regnique Assyrico more conceptum existimant[3]). Certe enim stelam explicemus necesse est. Tamen in utraque sententia aliquid veri inest; columnam illi pro dei alicuius symbolo habebant, qua in re assentiri possum. Antiquissima enim aetate simulacra deorum saepissime rudibus figuris exprimebantur. Deinde leones, qui appositi sunt, cum alteris consentiens non solum ἀποτροπαίου instar adhibitos esse[4]) putaverim, sed bestiae ad stelam conexu quodam referendae mihi videntur, cumque columnam pro dei vel deae simulacro habeamus, in ea columna Dianae antiquissimum agnoscimus simulacrum[5]). Huic enim deae leones consecratos fuisse modo docuimus. Itaque hoc opus nihil aliud est nisi antiquissima illarum figurarum forma, quae Dianam exhibent cum duabus bestiis coniunctam. Hoc quidem in opere manibus figurae non tenentur leones, sed supposita basi erecti

---

1) P. IX, 17, 2.

2) Goettling, Gesammelte Abhandl. aus d. klass. Alterth. I, p. 52.

3) E. Curtius de hoc opere verbis 'Assyrischer Wappenstyl' utitur.

4) Nam si tantum hostes terrendi causa leones portae impositi essent, columna et basi non opus fuisset.

5) cf. Archäolog. Zeitg. 1880, tab. III, nr. 1, 3: ubi figuras 'Deorum Matris', vel potius Dianae habes leonibus erectis simillimas'.

sunt: basim vero aram deae esse censeo. Neque iam columnam, quae contra artis regulam supra latior sit quam infra, vituperamus, cum humanae figurae erectae speciem cruribus compositis imitetur. Ceterum etiam Corinthi Dianae simulacrum sola columna expressum fuisse Pausanias tradit[1]), qua re nostram operis interpretationem valde comprobatam videmus. Difficile tantum est quatuor circulos explicare, qui in columnae capite sculpti sunt. Vulgo Lyciorum sepulcrorum ornamenta comparantur, equidem vero potius figuras Berolinensis musei in Sicilia inventas conferam, quae in pectore tales quatuor orbes praebent[2]), qui mammarum in loco formati videntur esse. Eaedem figurae figlinae etiam in polo capiti imposito tales circulos exhibent quadratis quidem inclusos, quare antiquissimae artis formas vulgatissimas illos existimem.

Denique autem quaerendum est, utrum nostrae deae cultum Mycenis quondam floruisse verisimile sit necne: namque apud Homerum[3]) Mycenae earum urbium sunt, quae a Iunone maxime amantur. Monendum vero est ut reputemus praecipue Pelopidarum arcem Mycenas fuisse, quae gens e Phrygia in Graeciam antiquissimis temporibus transierat. In Phrygia autem Dianae antiquissimos cultus fuisse aliquoties iam notavimus, velut ad lacum Gygaeum, ubi in templi reliquiis etiam leonum capita inventa sunt. Deinde scriptorum auctoritate ipsa Pelopidas imprimis Agamemnonem Dianae cultores fuisse comprobatur. Notissimum est eum suam ipsius filiam Dianae immolavisse Aulide, ubi tabernaculi eius reliquiae in templo conservabantur[4]). Deinde Megaris Dianae templum condidit, cum Calchanti persuasisset, ut in Troiam se proficiscentem sequeretur[5]). Alia huius rei argumenta mitto, ne longius a proposito discedam[6]).

---

[1]) P. II, 9, 6: *Μετὰ δὲ τὸ Ἀράτου ἡρῷον ἔστι μὲν . . . ἔστι δὲ Ζεὺς Μειλίχιος καὶ Ἄρτεμις ὀνομαζομένη Πατρῴα, σὺν τέχνῃ πεποιημένα οὐδεμιᾷ· πυραμίδι δὲ ὁ Μειλίχιος ἡ δὲ κίονί ἐστιν εἰκασμένη.*

[2]) cf. imprimis n. 7448, plut. *E.*

[3]) *Δ* 52.

[4]) P. IX, 19, 7.

[5]) P. I, 43, 1.

[6]) cf. P. I, 41, 4; III, 16, 7; VI, 22, 8; VII, 24, 1.

Itaque cum Pelopidas Dianam coluisse sciamus, concedendum certe est hac ipsa re comprobari illud simulacrum Dianae signum esse praesertim cum leones ad hanc deam maxime pertineant.

Hac interiecta disquisitione insignissimum nobis comparavimus Dianae apud antiquissimos Graecos cultus argumentum, ut iam non solum cogitatione illius temporis deos et religionem opinari, sed etiam ipso simulacrorum conspectu deos, quos cogitaverint comprehendere, possimus.

Revertamur autem ad animalia Dianae sacra describenda: e cicuribus deae consecrati erant boves, equi, capri.

Bos et propter magnitudinem et propter utilitatem, quam hominibus praebet maximam, Dianae sacer habebatur[1]), quare deae nomen *Ταυροπόλος* imponebatur, quod primitus significat deam 'boves pascentem vel tuentem'[2]). Fingebatur autem haec dea in tauro consistens vel sedens[3]), quod schema ex orientali arte sumptum esse haud negaverim. Cum vero taurus, in quem imposita dea fingebatur, currens plerumque fingeretur, deam quasi taurum vexantem esse cogitabant, unde proverbium factum est *Ταυροπόλας Ἀρτέμιδος ταχύτερος*[4]). Comprobare vero non possum, quod viri docti has deae figuras symbolice lunarem notionem exhibere censuerunt[5]). Lunam enim, quam illi principium religionis Dianae naturam esse arbitrantur, vaccae quidem symbolo, nec tamen tauri significari posse puto. Neque scholiastae nota ad Soph. Ajac. v. 172 *ὅτι ἡ αὐτὴ τῇ Σελήνῃ ἐστὶ καὶ ἐποχεῖται ταύροις, ἣν καὶ ταυρωπὸν ὀνομάζουσιν* illam sententiam mihi probare videtur, cum posteriores grammatici minine antiquissimae Graecorum religionis gnari habendi sint, qui lunam vulgo pro insaniae causa habebant: Diana autem tunc, cum illa scripta sunt, iam diu Lunae naturam induerat.

---

1) cf. Welcker, Th. Gr. I, p. 592. Preller, Myth. Gr. I, p. 251 sq.
2) cf. *αἰπόλος*.
3) Mus. Berol. antiqu. n. 7587: Tanagrae inventa figura figlina.
4) Mich. Apostol. 16, 22.
5) Preller, l. l.

Similiter Pheraeae Dianae lunarem naturam falso tribuerunt[1]). Ea enim dea in simulacris et Pheraeis nummis equum manu tenens vel eo vecta fingitur[2]). Hoc iam attributo dea optime significatur, cuius in tutela et praesidio greges equorum esse Thessali cogitabant. Herbosa enim planities magnos equorum greges alebat Thessalorumque opes et divitiae nobilissimarum harum bestiarum copia et praestantia constabant. Haec vero Thessalica dea simul perniciosam praebebat naturam, quare et Hecatae et Proserpinae speciem prae se ferebat: primitus autem nulla alia nisi naturalis dea esse potest, cuius vim ad equorum curam pertineat. Eadem dea Phenei in Arcadia Heurippa cognomine colebatur[3]) et Sicyone Pheraeae Dianae iuxta gymnasium templum et statua erat[4]). Praeterea poetarum epitheta hanc deae indolem, nempe equorum curam et domitum, indicant, velut *ἱπποσόα*[5]), *δέσποινα τῶν γυμνασίων τῶν ἱπποκρότων*[6]). Ceterum Hippolytus, qui Dianae amicus fuisse traditur[7]), nomine iam se in equis curam posuisse indicat: vel cultu et divino honore is afficiebatur, cum puellae nupturae ei crines dedicarent[8]), id quod Deli pueri et puellae in honorem Hyperborearum virginum faciebant[9]). Hac caerimonia numina placabant, quae pueris praesidium salutemque praestare putabantur, simulque orabant, ut sibi nupturis propitia essent. De castitate autem eximia Hippolyti fabula tum primum orta mihi videtur esse, cum iam Dianae virginis laudes vulgatae essent.

Etiam capri Dianae sacri erant, cuius rei testimonia Welckerus composuit, quem conferre licet (Th. Gr. I, p. 591).

---

1) Preller, l. l., tom. I, p. 257.
2) cf. Stephani Compte-rend. 1860 tab. 2, II, p. 46.
3) P. VIII, 14, 5.
4) P. II, 10, 6.
5) Pind. Ol. III, 47.
6) Eur. Hipp. v. 228 sqq.: *δέσποιν' ἁλίας Ἄρτεμι Λίμνας καὶ γυμνασίων τῶν ἱπποκρότων, εἴθε γενοίμαν ἐν σοῖς δαπέδοις, πώλους Ἐνετὰς δαμαλιζομένα* (Phaedrae verba).
7) Xenoph. Cyn. I, 11.
8) Eur. Hipp. v. 1425 sq.
9) Herod. IV, 34.

Alio denique consilio canes deae addebantur in simulacris, cum tantum Dianae venatrici convenirent, quam adhuc nondum explicavimus. Canes enim, quippe qui venantibus summo usui sint, cumque venatio in Dianae praesidio sit, etiam deae sacri habebantur, rarissime autem immolabantur[1].

Schliemannus, cui propter excavationes praeclarissimas maximam debemus gratiam, Mycenarum in ruinis nuper gemmas antiquissimas invenit, in quibus bestia pullo uber praebens capite reclinato caelata est sive bos sive cerva[2]. Quae figurae cum certe symbolicam notionem contineant, deae naturalis et genitalis signa videntur esse, eiusdem deae, cuius symbolum portae Mycenarum impositum est, cuius deae principalis natura terrae nutriens vis habenda est, quaeque dea imprimis bestiarum tutelam gerebat. Sane optime talibus figuris dea symbolice repraesentabatur, cuius cultores et pascendo et venando victum praecipue quaerebant. Multo minus aptum decorumque erat, si deae ipsius simulacra multis mammis instructa fingebantur, quibus deam omnia nutrientem significarent. Tamen et huiusmodi signa extant imprimis Ephesiae Dianae, in quibus polymastiam fontium symbolum esse Guhlius (Ephes. p. 82) contendit, quod comprobare non possum, cum minime ad aquam solam Dianae principalis natura referenda sit, sed ad omnium rerum et animalium generationem: id quidem hoc capite ab omnibus partibus satis mihi videtur explicatum esse.

Caput IX.

De Dianae perniciosa et bellica natura.

Terrae immanens vis, qua Dianae principalem naturam contineri diximus, non solum propitia et benevola est, quam adhuc descripsimus, sed etiam infesta et perniciosa esse potest, ad quam describendam nunc accedimus. Duae autem imprimis existunt provinciae, quae hac deae natura

---

[1]) cf. Welcker, Theol. Gr. I, p. 562.

[2]) cf. Schliemann, Mykenae, fig. n. 175 et 315.

reguntur, altera mortis, altera belli. Quae enim dea hominibus periculosa est, ea ferocem naturam exhibeat neque a bellando abhorreat necesse est. Mortifera vero Diana facta est, cum et terrae et noctis dominationem eam obtinere putarent Graeci cumque animas mortuorum in tenebricosum orcum descendere opinarentur. Umbrarum igitur domina antiquissimis temporibus Diana credebatur et cuius benignitate homines in vitam inducti essent, eiusdem deae telis ad inferos se demitti putabant. A gremio Terrae, omnium rerum communis parentis, profectos homines rursus per mortis ianuam ad matrem redire non solum nos cogitamus, sed etiam Graecos ita sensisse figuris huius inferorum deae declaratur, quae matronam infante addito exhibent[1]). Graeci autem cum de diis sententias variare coepissent, vulgo duas distinguebant deas, Proserpinam a Dianae persona declinantes. Deinde rursus divisione facta Hecatam a Diana diremerunt illi inferorum, huic terrae regimen tribuentes. Tamen etiam Diana illam inferorum deae naturam servavit, cuius rei testimonia abhinc proponam.

Primum Dianae et Proserpinae similitudines statuere opus est. Dianam ab Aeschylo Cereris filiam nominatam esse supra iam commemoravimus, qua de re illa Aeschyli aetate duas deas non ubique distinctas fuisse opinor. Eodem conducimur si cognomina utriusque paria esse animadvertimus, namque et Despoena[2]) utraque appellabatur et Cora[3]) sc. Iovis, et Soteira[4]). Figurae deinde dearum similes sunt, cum Proserpina quoque interdum faculam gerens ficta sit[5]). Tum haec floribus ornata esse solet, quibus veris dea indicatur, qualem Dianam esse iam docuimus. Denique autem Pro-

---

[1]) Berolinensi in museo permultae tales extant figurae. cf. Aesch. Pers. v. 628. Choeph. v. 399.

[2]) cf. P. V, 15, 4.

[3]) cf. P. VIII, 37, 9; IX, 39, 4: *Κόρης θήρα.*

[4]) Proserpinam sic nominatam habes P. III, 13, 2; VIII, 31, 1. Praeterea Proserpinae et Dianae attributa sunt *ἁγνή*, cf. P. IV, 33, 4; *Πολύβοια*. Hesych. s. v.: *Πολύβοια θεός τις ὑπ' ἐνίων μὲν Ἄρτεμις, ὑπὸ δὲ ἄλλων Κόρη.*

[5]) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 654, not. 3.

serpinae cultum, qui maxime Eleusiniis mysteriis vulgabatur, non antiquissimum ducam neque de Proserpinae raptu fabulas, quarum originem virorum doctissimorum consensu nisus temporibus, quae post Homerum fuerunt, adscribam. Quare mirum non est, quod in Dianae templo Troezeniae Inferorum deorum signa constituta erant[1]) et Diana ipsa *Χθονία* vocabatur[2]).

Dianae iam vero ipsius hanc ad mortem pertinentem vim apud Homerum agnoscere possumus, quae natura ibi multo saepius quam omnes aliae virtutes laudatur. Quater in Iliade sagittis necem parasse eam commemorat poeta, octies in Odyssea (v. supra) neque plerumque grata haec mors est, quam Diana immittit, sed celeritate tantum mitigata itaque interdum ab hominibus petita, qua celeritate deae magna et repentina vis optime significatur. Praeterea Dianae mortifera vis ab Homero (*Φ* 483) his verbis describitur: *ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶν Ζεὺς θῆκεν καὶ ἔδωκε κατακτάμεν ἥν κ' ἐθέλῃσθα*, quibus omnium puerperarum mortes ei imputantur: eandem deae vim significant epitheta *ἰοχέαιρα*, quod telis mortiferis praeditam deam significat et *χρυσηλάκατος*, i. e. opinor, 'dea filum vitae trahens et insecans', quod officium Parcarum esse postea existimabatur. Etiam posteriores Graecorum poetae formidolosam Dianae vim interdum commemorant velut Hipponax, qui in fragmento (n. 23. Bgk.) haec: *Ἀπό σ' ὀλέσειεν Ἄρτεμις, σὲ δὲ κὼπόλλων*, deinde Euripides in Phoenissarum v. 151 sq.:

ἀλλά νιν ἁ κατ' ὄρη μετὰ ματέρος,
Ἄρτεμις ἱεμένα τόξοις δαμάσασ' ὀλέσειεν[3]).

Notandum hac in re mihi videtur Dianam fere semper in necando instrumentis sive sagitta sive arcu usam esse dici, quare haec attributa interficientis deae symbola habeam. Ratio autem haec est. Vetustissimi homines cum mortem intestina corporis debilitate effici cogitare non possent,

---

1) Paus. II, 31, 2.
2) Schol. Theocr. 2, 12.
3) cf. Eur. Hipp. v. 1422. P. VIII, 3, 6; 27, 17.

numina telis hominibus mortes immittere et inevitabiles eorum sagittas esse putabant, quod nulli mors parcit. Hanc videlicet sententiam sibi finxerunt homines, cum permultos telorum vulneribus interfectos viderent. Eadem figura etiam Hebraei, qui de mortifero dei ministro vel angelo fabulabantur, et Muhamedani utebantur[1]): quare minime necessarium mihi videtur ad solares radios in explicando confugere, quod Welckerus aliique mythologi fecerunt. In Apollinis quidem telis explicandis ratio fortasse quaedam enucleari potest: sed quomodo Dianae sagittae radiorum lunae symbola esse possunt, cum Diana luna non sit? Etiamsi ea dea lunarem naturam primitus exhiberet, quomodo lunae radios mortiferos cogitare possumus? Neque Welckerus haec probat, ex Apollinis vero similitudine hanc Dianae vim derivare conatur, quam rationem supra iam vituperavi. Ergo tela, imprimis sagittae, mortiferae deae propria sunt, itaque antiquissimum Dianae cognomen *Ἑκάτη*, i. e. Iaculatrix inferorum deae naturam induit, cuius in honorem Aeginae mysteria celebrabantur ab Orpheo instituta[2]).

Ab hac iam Dianae perniciosa natura et mortifera eius virginitas, quae vulgo credebatur, originem duxisse mihi videtur. Deam enim, quae in omnes repentinas mortes immittere possit, virginem a viro intactam esse necesse erat, quare ne dei quidem ullius coniux habebatur. Feroci enim natura nuptam esse minime convenit.

Altera deinde Dianae virtus indidem descendit, nempe venatio: eadem dea, quae primo bestiarum fautrix erat, venatrix paulatim facta est. Huius rei prior causa est, quod Diana praeter naturalem vim ferocem perniciosamque naturam praebet, altera, quae accessit, quod venatorum dea virgo venatrix sit necesse est[3]). Ceterum eae laudes altera alteri auxilio fuerunt, cum facile et venatrix virgo haberetur et virgo dea feroci natura venatrix fieret. Cum vero hae Dianae virtutes tam sero a poetis conformatae sint, videmus,

---

[1]) cf. Welcker, Th. Gr. I, p. 537.
[2]) P. II, 30, 2. cf. Welcker, Th. Gr. II, 404 sq.
[3]) Welcker, Th. Gr. I, p. 605.

quam ineptum sit Ἀρτέμιδος nomen ex hac indole derivare. Contra nonne Graecorum poetarum ingenium admirari debemus, qui perniciosam naturalem deam in venatricis optimae virginisque castissimae speciem redegerint? Neque talis religionis commutatio contra rationem est, cum in universum e naturalibus diis ethica numina orta sint. Itaque nostra de Dianae numinis conformatione sententia undique firmata mihi videtur esse.

Primum igitur Diana perniciosa est, quod terrae et nocti dominatur, quae umbrarum sedes sunt. Deinde vero etiam alteram naturae huius infestae deae causam comprehendimus, quae ipsis homicidiis in antiquissimis Dianae cultibus usitatis continetur: tertia denique accedit causa, cum irascentem Dianam plerumque in fabulis videamus.

Irascentem hanc deam imprimis fabula de Calydonio apro exhibet[1]). Calydonia vero dea eadem est, quae postea Laphria appellatur[2]), quod cognomen iam infestam deae indolem significare videtur, cum 'rapientem vel haurientem[3])' (a rad. λαβ nomen derivantes) deam esse intellegamus, cuius in sacrificiis viva animalia in rogum coniecta cremabantur[4]). In illa vero fabula symbolum infestae deae reperimus, nempe aprum segetes vastantem: praeterea aliae bestiae feroces eadem vice fungebantur, velut leones, tauri, lupi vel lupae, quorum ipsorum nominibus deam interdum appellabant, id quod Porphyrius[5]) tradit, qui haec: καὶ θεοὺς δὲ οὕτω προσηγόρευσαν, τὴν μὲν Ἄρτεμιν λύκαιναν, τὸν δὲ Ἥλιον σαῦρον λέοντα, δράκοντα, ἱέρακα, τὴν δὲ Ἑκάτην ἵππον, ταῦρον, λέαιναν, κύνα. Itaque imprimis Dianae Tauropolae formidolosa natura adscribebatur: quae cum tauro vecta fingeretur quam celer-

---

[1]) Hom. *I*, 533 sqq. Ovid. Met. VIII, v. 273.

[2]) P. IV, 31, 7; VII, 18, 6 sqq.; X, 38, 12.

[3]) cf. Iovem Λαφύστιον. Nimis arte O. Muellerus (de Dor. I, p. 381, not. 5) deae naturam circumscribit, cum dicat: 'Diese ätolische Artemis ist Getreidegöttin und erscheint daher als im Getreide rasender Eber.'

[4]) Similia sacrificia commemorantur P. IV, 31, 7 Ilithyiae, Xen. Anab. VII, 8, 5 Milichii.

[5]) De Abstin. 4, 16.

rime currente, hominis per febrim animi et mentis perturbationibus iactati speciem praebebat (tali enim equitantis imagine hominem febri excitatum veteres fingebant): quare Sophocles Aiaci insaniam a Diana Tauropola immissam esse opinantem chorum fecit[1]) et feminas quibusdam morbis afflictas *Ἀρτεμιδοβλήτους* vel *σεληνοβλήτους* vocabant[2]), fortasse quod puellarum menstruationes perturbatae insaniam efficere possunt[3]).

Dianae haec infesta natura duorum numinum recentiorum personas induit, Adrasteae et Nemesis Rhamnusiae, quas primitus a Diana diversas fuisse nego. Nomen illius quidem deae, quod mihi non Asiaticum videtur esse[4]), deam significat, quam nemo effugere potest[5]) i. e. necis dominam. Eam deam Dianae formam fuisse iam Demetrius Scepsius[6]) censuit, cuius rei testimonium Welckerus falso reiecit[7]). Deinde etiam *ὀρείη* vocabatur, quare Rheae Cybelae formam eam fuisse Prellerus coniecit[8]), quae imprimis Cyzici culta esset. Sed praeterea Cirrhae in Apollinis, Dianae Latonaeque templo Adrasteae signum erat, id quod similitudinem Dianae Adrasteaeque satis comprobat[9]). Denique autem Adrastea Nemesios cognomen erat, quam Nemesim item Dianae abalienatam existimamus deam. Neque enim Nemesis Adrastea et Rhamnusia discernendae mihi videntur, cum utraque dea e Dianae numine derivanda sit. Rhamnusia vero Nemesis Dianae naturam magis conservabat, quam illa, quam cognomine Adrasteam vocare solent. Itaque hanc Rhamnusiam Dianam proprie esse iam priores intellexerunt[10]). Nemesis

---

1) Ai. v. 172.
2) Macrob, Sat. I, 17, 11.
3) cf. P. II, 7, 7 sq.
4) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 440.
5) cf. Suid. s. h. v.
6) Harpocr. s. v. *Ἀδράστεια*.
7) Welcker, Th. Gr. III, p. 35.
8) cf. Phoronidis fragm. apud Schol. Apollon. 1, 1129.
9) P. X, 37, 5.
10) Welcker, Th, Gr. I, p. 576 sqq.; III, 28 sqq. Gerhard, Prodr. p. 131, 35. Aliter Prellerus, I, p. 439.

nomen primo facile ad explicandam est: 'distribuentem' significat deam, quae aut prodest aut nocet hominibus modo adversa modo propitia et terminum vitae omnibus proponit. Magna est dea potensque, contra quam hominum vis nulla est, qualem Aeschylus describit his usus verbis (fr. 244 Wellauer) *ἠνῶν γε μέντοι Νέμεσις ἐσθ' ὑπερτέρα*, qui idem de Adrastea haec dicit (Prom. v. 936) *οἱ προσκυνοῦντες τὴν Ἀδράστειαν σοφοί*. Similiter Theognis (fr. 14 Bgk.) Nemesim invocat *κακὰς δ' ἀπὸ κῆρας ἄλαλκε, σοὶ μὲν τοῦτο, θεά, σμικρόν, ἐμοὶ δὲ μέγα*. Hesiodus autem (Theog. v. 223), Nemesim inter Noctis filias numerat, quam Dianae antiquissimam speciem fuisse vidimus: qua de re Pausanias (VII, 5, 3) cum illo consentit, qui quidem laudato loco duas Smyrnaeorum Nemeses commemorat. Ibidem ab Atheniensibus Nemesis patrem Oceanum nominatum esse tradit, id quod offendere non potest, cum eundem Eurynomae parentem nominatum[1]) sciamus. Illius vero Iovisque filia Helena dicta est, quae ipsa Dianae speciem exhibebat[2]). Si vero Suidas Rhamnusiam (s. h. v.) *βασιλεύσασαν ἐν τῷ τόπῳ* dicit, deceptus facile videtur illo attributo *βασίλεια*, quod Dianae proprium fuisse notavimus. Deinde vel Upim Rhamnusiam cognominatam[3]) invenimus, cum alibi Upis Dianae ipsius nomen sit. Denique magna et praeclara deae Rhamnusiae statua diadema gerebat Victoriis ornatum, quibus utrimque cervi appositi erant[4]): cervos autem Dianae sacros fuisse supra explicatum est. Itaque mea quidem sententia dubitari non potest, quin illa Rhamnusia dea, cuius templum a Braurone paulum distabat, eadem quae Diana antiquissima fuerit, i. e. naturalis dea et simul mortis domina. Sed nomine Nemesis huic Rhamnusiae deae moralis quaedam vis additur, quae etiam in Dianae principali natura inest[5]). Quodcum Nemesis etiam manium

---

[1]) Hom. Σ 399.

[2]) P. I, 33, 7. Call. H. III, v. 232.

[3]) Anthol. Pal. app. 50. C. I. G. 6280 A.

[4]) P. I, 33, 8.

[5]) Sellae marmoreae Rhamnunte inventae sunt, in quibus inscripta leguntur, *Νεμέσει* et *Θέμιδι*; cf. L. Ross, Archäol. Zeitg., 1850, p. 170 sqq. cf. proximum caput.

domina fuerit, facile intellegimus, cur Athenis *Νεκύσια* etiam *Νεμέσεια* vocata sint[1]), quae sollemnia quinto Boedromionis die agebantur. Sextus vero item Dianae dies festus erat, cognomine Agroterae, ad cuius naturam illustrandam convertimur.

Diana Agrotera, quae ferocem prae se fert naturam, ad alteram deae perniciosae provinciam nos traducit, quae bello ipso continetur. Nam Diana etiam bellicosa dea est, cuius naturae testimonia adhuc nondum satis collata mihi videntur. Prellerus (Myth. Gr. I, p. 245) enim obiter Dianam Agroteram vocat 'Göttin des Wildes und der Jagd, aber auch des wilden Jagens der Schlacht.' Similiter hanc bellicosam deam, quam recte agnoscit, Schoemannus[2]) a venatrice dea declinare conatus est. Hanc sententiam probare non possum, cum alia sit venatio, aliud bellum: neque Graeci numine carebant, quod bellorum praesidium haberet, ut Dianae id commendare opus fuisset. Itaque Dianae bellicosam naturam non a venatoria, sed ab illa perniciosa et mortifera descendisse censemus. Accessit, quod gentes bellicosae hanc imprimis deae naturam facile urgebant et ex ipsarum natura paulatim commutabant. Itaque gentes et Graecorum et Aricarum nationum, quibus rudis et bellicosa natura diutius inesset, tanquam Bellonam nostram deam coluisse consentaneum est. Cuius deae nomen apud Chaldaeos Semiramis erat, quod idem significare atque *Ἄρτεμις* supra notavimus. Moversii[3]) laudo et sequor divinationes, qui proprium fuisse huius deae cultum putat populorum montanorum (sc. Aricorum), qui ex septentrionalibus partibus in Euphratis Tigrisque planities profecti Assyriorum militarem ordinem complevissent. Semiramis igitur dea, qua duce expeditiones in longinquas regiones se prospere perfecisse cogitabant, cum Regina appellaretur ut illa Thracum

---

[1]) cf. Schoemann, Ant. Gr. II, p. 477.

[2]) Antiq. Gr. II, p. 478: Die Agrotera als Göttin des Waidwerks, welches ja auch ein Krieg ist, schien den Griechen wohl geeignet, ihnen auch auf dem Schlachtfelde gegen ihre Feinde beizustehen.

[3]) De Phoen. II, 1, p. 261 et 620.

dea paulatim in personae humanae potentissimaeque reginae formam mutata est, quae antea dea gentis illius Aricae naturalis fuerat, quaeque secundum cultorum mores bellicosam naturam induerat.

Eiusdem deae eandem naturam in illa dea animadvertimus, cuius in honorem Amazones bellare eiusque cultum propagare dicebantur. Multi quidem mythologi[1]) fabulosae gentis deam lunarem esse censent, qui error inde fluxit, quod Dianam in universum lunarem deam esse arbitrabantur. Mihi autem bellicosa natura in Amazonum dea praecipua fuisse videtur, quod omnibus de Amazonibus fabulis satis comprobatur. Diodorus (II, 46) illas sacra *Ἀρτέμιδι τῇ προσαγορευομένῃ Ταυροπόλῳ* fecisse tradit, quo cognomine deam infesta natura praeditam videlicet significare voluit. Tali deinde deae optime conveniunt armatorum saltationes, quas ab Amazonibus exercitatas fuisse Callimachus[2]) tradit.

Praeterea Omphale[3]), quae Herculis arma i. e. arcum et pharetram gestasse dicebatur, nostrae deae formam praebet, quae apud Lydos olim in cultu et fabulis vulgata erat. Lydi enim Semitae hanc religionem ab Ariis i. e. Phrygibus recepisse videntur.

Denique in Cappadocia vel temporibus posterioribus armatam hanc deam invenimus 'Ma' nominatam, cuius sacerdos Comanensis fere regale imperium totius provinciae obtinuit. Eam deam Plutarchus (Sull. p. 457 B) utrum Lunam an Minervam an Bellonam nominet dubitat, unde cuiusque deae partem illam continuisse colligas. Nec Assyrii ipsi talem deam non habebant, Istar nominatam, cuius imago stellis inserta virgo sagittifera erat[4]). Haec iam ex Asiaticarum gentium religione comparandi gratia attuli, nunc vero ad Graecorum ipsorum bellicosam Dianam describendam pergimus.

---

[1]) Preller, Myth. Gr. I, p. 254. Wachsmuth, Die Stadt Athen, I, p. 420.

[2]) Hymn. III, v. 241 sqq.

[3]) cf. Preller, II, p. 226. Tmoli fuisse coniux Omphale fertur: Tmoliam vero Dianam laudat Athen. 14, 38.

[4]) cf. Fr. Lenormant, Die Anfänge der Cultur, II, p. 51.

In Hecatae hymno Hesiodeo, quo Dianae antiquissimae virtutes accurate definiri diximus, bellica deae vis his verbis commemoratur:

ἡ δ' ὁπότ' ἐς πόλεμον φθισήνορα θωρήσσωνται
ἄνερες, ἔνθα θεὰ παραγίγνεται, οὓς κ' ἐθέλῃσι
νίκην προφρονέως ὀπάσαι καὶ κῦδος ὀρέξαι,

quae verba satis clare dicta sunt. Desunt, quod sciam, alia poetica testimonia, nisi forte Euripidem putamus Dianam quater[1]) ab Antigona in Phoenissis invocatam fecisse propter hanc deae bellicam naturam, cum Antigona in hostium conspectu Dianam invocet, ut dea salutem auxiliumque urbi praebeat. Quamvis rara sint ex auctoribus petita testimonia, tamen ex cultu, fabulis cognominibusque probata promere possumus.

Celeberrima erant sacra Dianae Amarysiae, quae et in insula Euboea et Athmoniae in pago Attico, fiebant[2]). Die festo pompam insignem militarem deae in honorem instituebant, cui non solum milites gravis armaturae sed etiam equites et bigae intererant: deinde ludi militares et certationes fiebant: talibus e caerimoniis certe bellicam deae naturam colligere possumus, quam rem fortasse etiam Colaenidis nomen comprobat, quod huius deae cognomen apud Athmonenses erat. Namque ad κολεόν (i. e. gladii vaginam) nomen referre non plane ineptum mihi videtur.

Praecipuum autem huius Dianae bellicosae cognomen erat Agrotera, quod nomen non ab ἀγρός, sed ab ἄγρα declinatum esse videtur, quae vox Goebelio (Lex. II, p. 625) auctore proprie pernicitatem cursus significat. Huius deae attributa tela sunt, quibus mortiferis instrumentis usa non solum venationi praesidet[3]), sed etiam bello. Dianae et Enyalio Athenis archo polemarchus quotannis sacrificabat[4]). Similiter Lacedaemonii ante initam pugnam Dianae immolare

---

[1]) Phoen. v. 109, 151, 175, 190 sqq.
[2]) P. I, 31, 4, 5.
[3]) Xenoph. Cyn. VI, 13.
[4]) Poll. VIII, 91.

et supplicare consueverunt, qua de re Xenopho[1]) certiores nos facit, quod testimonium denegare non possumus. Fortasse etiam apud Athenienses hic mos erat, cum ante Marathoniam pugnam id factum esse sciamus. Narratur[2]) enim polemarchus Dianae ante arma conserta supplicans vovisse tot hostias deae se mactaturum esse, si Athenienses vicissent, quot hostes interficerentur. Cum vero tanta hostium Persarum multitudo cecidisset, quantam hostiarum, nempe caprarum, comparare non potuerunt, anniversariam quingenarum caprarum sacrificationem constituerunt, quod sic vota se solvisse putabant[3]). Templum vero Dianae, ubi sacrificationes opulentae fiebant, prope Athenas in pago *Ἄγραι* erat, ubi deae statua sagittifera erat[4]).

Deinde fabulam Aegiritarum comparare licet[5]), qui Dianae Agroterae templum condiderunt, quod ea adiutrice Sicyonios, qui contra Aegiram profecti erant, quamquam invictos tamen imperfecta re recessisse putabant. Tum Olympiae in nemore sacro ante curiae foras Dianae Agroterae ara erat[6]), quam certe non ad venatricem deam, sed ad contionantem et bellantem referre debemus. Praeterea Megaris fanum Dianae Agroterae et Apollinis Agraei erat, quod Alcathous Pelopis filius, cum leonem Cithaeronium necasset, exstruxisse ferebatur[7]). Cum vero Alcathous, qui ex Elide venerat, post Megarei regis mortem rerum potitus esset, templum Dianae mihi quidem ob hanc bene gestam rem condidisse videtur, minus propter leonem interfectum, si omnino illi de leone fabulae fides habenda est. Leo enim Dianae Victricis signum videtur fuisse, quare non raro in occisorum militum sepulcris imponebatur[8]), non ideo tantum, quod fortitudinis et roboris

---

1) Hell. IV, 2, 20. cf. ibid. VII, 1, 34.

2) Plutarch. d. Herod. mal. c. 26. cf. Schoemann, Antiq. Gr. II, p. 478.

3) cf. Aristoph. Equ. v. 660.

4) P. I, 19, 6.

5) P. VII, 26, 3. 11.

6) P. V, 15, 8.

7) P. I, 41, 3—6.

8) velut Chaeroneae eorum, qui contra Philippum pugnantes ceciderant. cf. P. IX, 40, 10, dein 'Athenaeum', VIII (1880), fasc. 6, p. 501.

symbolum est, sed etiam quia deae sacra est bestia eius, quae et victoriam praebere posse et manium domina esse putabatur. Sic fortasse Alcathous in victoriae memoriam leonis simulacrum constituit, ex quo ipso signo fabula facile originem ducere potuit, cum homines symbolicam leonis notionem non iam intellegerent. Similiter etiam posteriore aetate Aristodemus Megalopolitanorum rex Dianae Agroterae fanum constituit[1]), videlicet ut deae gratias propter imperium occupatum ageret. Denique Dianam ipsam foederis Achaici fuisse bellicum tutelare numen C. de Paucker probavit[2]), id quod esse non potuit, nisi dea iam per se bellicam naturam exhibuisset.

Nihil autem contra hanc Dianae Agroterae bellicam indolem poetae valere possunt, si etiam alias Dianae virtutes describentes hoc cognomine utantur[3]), cum ipsa verborum et nominum frequentatione poetica laus contineatur.

Deinde nostra bellicosa dea etiam Hegemone appellabatur, quod ipso numine duce Graeci se expeditiones facere cogitabant. Cuius cognominis perversam dedit explicationem Stollius[4]), qui de nuptarum deducendarum officio derivatum illud esse censet. Nec Prelleri[5]) comprobo opinionem, cum Hegemonen deam censeat esse, quae in difficilibus periculosisque itineribus venatores ducat. Mea quidem sententia dea Hegemone ea est, quae in pugnam procedentes ducit vel ad coloniam deducendam proficiscentes tuetur[6]). Namque etiam Mercurius Hegemonius, cui Athenis a praetoribus (στρατηγοί) sacra fiebant, non manium dux et custos est, sed dux belli[7]). Itaque comprobatur, quod in facinore omni Diana auxilium ferre possit, Hegemonen deam esse dictam. Sic intellegimus, cur Chronius[8]), cum Orchomeniorum tyrannum Aristomelidam

---

[1]) P. VIII, 32, 4.
[2]) Archäolog. Zeitg. 1849, p. 72, not. 28.
[3]) Pind. Pyth. IX, 10. Aristoph. Thesm. v. 145, Lysist. v. 1262.
[4]) Pauly, Real-Enc. I, 2, col. 1795.
[5]) Myth. Gr. I, p. 243.
[6]) cf. Callim. Hymn. III, v. 226.
[7]) cf. C. F. Hermann, Antiq. Gr. II, p. 430, not. 8.
[8]) P. VIII, 47, 6.

necasset, Dianae Hegemonae fanum aedifivaverit Tegeae, quo effugerat. Praeterea huius deae aedes prope Acacesium Pausania auctore[1]) erat.

Eadem de causa, quod Diana pugnantes servare et tueri putabatur in publico cultu *Σώτειρα* mihi videtur nominata esse, quod idem nomen in privato cultu partuum praesidem significat. Troezene Theseus, cum Asterionem Minois filium vicisset, certe illius Dianae Sospitae templum condidit[2]). Deinde ab Heraclidis Boeis Laconices in oppido templum huius deae conditum erat, cum lepus, Dianae sacra bestia, oppidi aedificandi locum demonstravisset[3]). Tum Megaris Diana cognominabatur Sotira, quod ea adiutrice, ut ferebant, Megarenses Mardonii milites oppresserant[4]). In aliis vero locis, ubi Diana sic cognominata colebatur, nempe Phigaliae[5]), Pellenae[6]), cultus originem non comperimus, sed similem causam fuisse cognominis verisimile est. Namque etiam Megalopoli, quae urbs Arcadum synoecismo condita est, in Iovis templo Dianae Sospitis signum erat[7]), qua ipsa re indicatum videtur urbem non sine dea adiutrice conditam esse.

Denique autem cognomen, quod Dianae Pyrrhichi Laconices in oppidulo indebatur[8]), bellicam sine dubio deae naturam probat, quamquam contraria significatur, dico *Ἀστρατείας* nomen, quod Dianae ideo fuisse dicebant, quia Amazones ibi expeditiones finivissent. Apparet enim hoc cognomen Dianae apponi nunquam potuisse, nisi dea quondam etiam bellicosa fuerit, qualis Amazonum dea erat.

Quodcum Dianae vis ad bellum pertineret, etiam pugna bene commissa spolia Dianae dedicabantur. Certe post

---

[1]) P. VIII, 37, 1.
[2]) P. II, 31, 1.
[3]) P. III, 22, 12.
[4]) P. I, 40, 2—4. cf. I, 44, 4. Overbeck, Geschichte d. gr. Plastik, I, p. 378, ed. 3.
[5]) P. VIII, 37, 4.
[6]) P. VII, 27, 3.
[7]) P. VIII, 30, 10.
[8]) P. III, 25, 3.

pugnam Salaminiam deae nostrae spolia, victoriae signa, Athenienses exstruxisse Simonidis epigrammate (n. 137 Bgk.) probatur:

Παντοδαπῶν ἀνδρῶν γενεὰς Ἀσίας ἀπὸ χώρας
παῖδες Ἀθηναίων τῷ δέ ποτ' ἐν πελάγει
ναυμαχίᾳ δαμάσαντες, ἐπεὶ στρατὸς ὤλετο Μήδων
σήματα ταῦτ' ἔθεσαν παρθένῳ Ἀρτέμιδι.

Similiter Xenopho[1]) tradidit Agesilaum eiusque milites e gymnasiis redeuntes Dianae Ephesiae coronas dedicasse. Xenopho autem ipse cum Cyri expeditionem in Babyloniam et reditum periculosum cum decem Graecorum milibus bene perfecisset, decimam omnium manubiarum partem Apollini et Dianae Ephesiae consecravit[2]). Ex sua vero portione Scillunte in Elide aram et delubrum Dianae Ephesiae condidit, quod solemni confinium congressu venationibusque iuvenum consecravit[3]).

Denique vel in paciscendo Dianam invocatam esse videmus, cum Aristophanes Lacaenas feminas sic fecerit Dianam implorantes (Lys. v. 1262 sqq.):

Ἀγροτέρ' Ἄρτεμι σηροκτόνε
μόλε δεῦρο, παρσένε σιά,
ποττὰς σπονδάς e. q. s.

Ad omnes igitur belli partes Dianae naturam pertinere intelleximus, summa vero eius vis in bellando et interficiendo apparet, quare tela et arma ei addebantur in statuis, quae sagittiferae deae speciem praebebant[4]). Interdum vero Diana vel iaculum[5]) et scutum gerebat[6]), quibus Minervae statuae postea significabantur. Quodcum haec similitudo dearum antiquissimis temporibus extaret, Graecorum quae dicebantur Palladia non omnia Minervae sed etiam Dianae fuisse signa facile conicimus[7]). Namque etiam Dianae hastatae figurae

[1]) Agesil. I, 27. Hellen. III, 4, 18.
[2]) Anab. V, 3, 4 sqq.
[3]) cf. P. V, 6, 5.
[4]) P. I, 19, 6; VII, 24, 1; 26, 11; 27, 4; IX, 19, 6.
[5]) P. X, 38, 12.
[6]) P. IV, 13, 1.
[7]) Archäol. Zeitg. 1849, p. 65 sqq., tab. VII.

Παλλάδια dici potuerunt velut illud insigne Troianum, cuius de praesentia salus urbis dependebat, quae mihi non Minervae sed antiquissimae Dianae statua videtur fuisse, cum e Troianorum parte Diana apud Homerum staret, Minerva autem iisdem adversaria esset. Dianae vero cultum in Asiae ora maritima finitimisque regionibus vulgatum fuisse supra iam notavimus, quare nihil probabilius est quam Troiae quoque Dianae cultum quondam floruisse[1]).

Haec iam vero de Palladiis opinio etiam eo probatur, quod Tauricae Dianae signa, quae in picturis Iphigenia tenet, hanc hastatam exhibent deam[2]), quam nisi Iphigenia figuras haberet, sine dubio Palladem nominaremus.

Ne tamen hanc bellicosam Dianam Graecorum esse peculiarem deam putaveris: Romani quoque eam noverunt Dianae naturam. Gentis enim Hostilinae in monetis Diana armata caelata est[3]), quam Hostilinam nominare licet. Deinde vel omne Romanorum imperium a nostra dea quasi concessum iis et condonatum exhibetur illa fabula, quam Livius (I, 45) tradidit: vates quondam cecinisse, utrius civitatis, sc. Romanae aut Sabinae, cives bovem miranda magnitudine et specie Dianae immolassent, penes eam fore imperium. Notum est Romanum antistitem calliditate Sabino superato bovem illum immolasse, unde Romanis imperium contigisse existimabant. Diana igitur in Aventino monte culta secundum hanc fabulam ea est, cuius de potentia et benevolentia Romanum imperium dependerit.

Caput X.

De Dianae ethica et musica natura.

Diana, quae primitus naturalem indolem praebet, iam antiquissima aetate ethicam naturam induit. Cum enim humanae vitae praesidium et custodiam habere putaretur,

---

[1]) cf. **Sayce in Schliemanni libro 'Ilios' 1881, p. 769.**

[2]) **Archäolog. Zeitg. l. l.**

[3]) **Creuzer, Symbolik I, 3, 3, tab. V, n. 26.**

leges quoque institutaque tueri eam homines, qui civitatis legibus vitam ordinaverant, cogitabant. Itaque ab eruditioribus gentibus non solum naturae sed etiam urbium legumque tutela eidem deae adscribebatur. Aeque cultus quoque custodiam deae officium esse homines arbitrabantur, ut et oraculorum et artis musicae, cuius usus in deorum cultu praecipum erat, praesidium deae deferrent: unde antiquissimae Dianae praeter ethicam etiam musicam quandam naturam tribuebant.

Has iam Dianae indoles imprimis Phryges conservabant, quorum summa dea, Rhea, non solum propter naturae praesidium sed etiam propter urbium tutelam semper laudabatur, quare postea in signis turrigera ficta est[1]). Eadem dea leonibus stipata cogitabatur vel iisdem vecta in tabulis sculptis et pictis fingabatur. Idem animal attribuebatur deae, quae ab Atheniensibus *Μήτηρ Θεῶν* appellabatur[2]). Eius vero templum, *Μητρῷον* appellatum, ab Atheniensibus in republica administranda adhibebatur, cum omnes civitatis leges tabulis inscriptas ibi deponerent. Recte iam viri docti opinabantur hunc Matris deorum cultum non ad Asiaticam religionem referendum esse sed propriam in eo cultu antiquissimamque eiusdem deae, quae Rhea sit, formam comparere, quae Graecis non plane aliena fuerit. Olympiae quoque Metroon erat, quod Pelops condidisse fertur[3]), et Pindarus praeter omnes deos 'Matrem' honorabat[4]), quam deam peregrinam fuisse vix credibile est.

Adhuc quidem mythologi nondum ausi sunt hanc deorum matrem ad Dianam referre, quod huius deae secundum poetarum laudes virginitatem propriam esse omnes censebant: attamen, cum supra Dianae principalem naturam tanquam Terrae matris explicaverimus, per se intellegitur etiam illam

---

[1]) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 530.

[2]) cf. Conze, Archäolog. Zeitg. 1880, fasc. I. Carol. Curtius, Das Metroon, 1868.

[3]) P. V, 20, 5.

[4]) cf. Pyth. III, v. 137: *ἀλλ' ἐπεύξασθαι μὲν ἐγὼν ἐθέλω | Ματρί, τὰν κοῦραι παρ' ἐμὸν πρόθυρον σὺν Πανὶ μέλπονται θαμὰ | σεμνὰν θεὸν ἐννύχιαι.* cf. Boeckh Expl. Pind. p. 314.

deam Dianae priscae formam praebere. Recte enim dea, quae ante omnes deorum genealogias fuerat, Mater deorum appellari potuit, cuius e natura declinatae complures deae propriam induerunt formam. Quamquam igitur in cultu publico interdum nominibus deae discernebantur poetaeque singulas cuiusque laudes excogitabant, tamen deas fere omnes ad hanc Matrem referendas esse censeo, cui in privato cultu primam semper tribuebant. Interdum vero vel in publico cultu hanc priscam naturam servavit dea civitatesque in eiusdem templis leges deponebant et acta publica, quod ibi propter universam huius deae religionem tutissima illa fore sperabant. Deinde vero, cum urbium custodiam habere putaretur, consiliorum sollertiam et prudentiam praebere Dianam credebant. Sic Hesiodus Hecatam praedicat (Theog. v. 429 sq.):

ᾧ δ' ἐθέλει μεγάλως παραγίγνεται ἠδ' ὀνίνησιν·
ἔν τ' ἀγορῇ λαοῖσι μεταπρέπει, ὅν κ' ἐθέλῃσιν.

et v. 434:

ἔν τε δίκῃ βασιλεῦσι παρ' αἰδοίοισι καθίζει.

Neque Dianae huius virtutis testimonia desunt. Agoraeae enim Olympiae cognomen Dianae erat[1]), unde deae vim etiam ad contionantes pertinere apparet. Aeque antiquitus Dianae sollemne cognomen erat Aristobulae, id quod E. Curtius[2]) probavit, quam deam non solum Athenienses sed etiam Rhodii colebant. Illum quidem cultum Athenis Themistocles instituisse fertur[3]): cum vero religionem publicam novare potuisse Themistoclem negem, Wachsmuthii[4]) sententiam comprobans antiquissimum hunc cultum habeam, quem Themistocles, cum ille plane oblivione mersus esset, restituit, sive etiam e privato publicum reddidit. Hunc praeterea Dianae cultum inscriptiones duae Atticae[5]) comprobant, quae Dianam *Βουλαίαν* nominant.

---

[1]) P. V, 15, 4. Mercurius Agoraeus eadem de causa sic cognominatus: Aristoph. Equ. v. 297. Iupiter Agoraeus: ibid. v. 500.

[2]) Attische Studien, I, p. 10, not. 1.

[3]) Plut. Them. c. 22.

[4]) Die Stadt Athen, p. 439.

[5]) C. I. G. 112 et 113.

Illam vero Rhodiorum Aristobulam Wachsmuthius[1]) Phoenicum deam esse censet, quae in Graecam formam mutata sit, et deam lunarem: quem quidem non sequimur, cum etiam in Graecia ipsa hanc Dianae naturam notam fuisse modo viderimus.

Itaque Dianam, cum talia cognomina haberet, consiliorum adiutricem institutorumque praesidem fuisse apparet. Attamen praecipua huius naturae provincia in aliam deam tralata est, cum legum custodiam iustitiaeque tutelam vulgo Themidi Graeci tribuerent[2]). Ea autem dea quo modo ex nostra primitus naturali dea declinata sit, facile intellegi potest. Primo quidem Themis una est Titanidum[3]), in quibus etiam Diana numerabatur et Diona Dodonaea et Latona et Hecate apud Hesiodum. Ea re iam Themidis cultum in priscam Graecorum aetatem referendum esse indicari videtur eamque illarum dearum non dissimilem esse. Deinde posterioribus quoque saeculis Themis et Terra mater i. e. antiquissima Diana eiusdem numinis nomina habebantur, id quod Aeschyli verba (Prom. 209) *ἐμοὶ δὲ μήτηρ οὐχ ἅπαξ μόνον Θέμις | καὶ Γαῖα πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία* satis docere videntur: quae verba optime inscriptione sellae theatralis comprobantur, quae exhibet *ἱερίαν Γῆς Θέμιδος*[4]). Tum similia cognomina Dianae et Themidi imposita sunt: a Pindaro[5]) *εὔβουλος* dicitur Themis, ab Aeschylo[6]) *ὀρθόβουλος*, quae cognomina idem valent, quod *βουλαία* et *ἀριστοβούλη*. Eadem Themis *Σώτειρα* nominabatur Iovisque *πάρεδρος*[7]), quo in loco antiquissimam Dianam fuisse supra docuimus. Tum Themidis

---

1) Die Stadt Athen, p. 439.

2) P. X, 31, 10 nympham Nomiam commemorat, quae fortasse e Dianae cognomine declinanda est.

3) Aesch. Prom. v. 874.

4) Plewius igitur in Prelleri Myth. Gr. I, p. 891, not 3, falso iudicare videtur, cum dicat: Die Identificirung von Ge und Themis beruht darnach wohl auf localem Glauben, ohne für die ursprüngliche Bedeutung der letzteren etwas zu beweisen.

5) Pind. fr. 6. Isth. 7, 67.

6) Prom. v. 18.

7) Pind. Ol. VIII, 28.

et Dianae nomine in iurando aeque utebantur[1]) et iis ipsis duobus coniunctis velut in Eur. Med. v. 160: ὦ μεγάλα Θέμι καὶ πότνι' Ἄρτεμι. Denique autem Themidis extat cognomen Ilithyia[2]), quod illi imponi non potuit, nisi Dianae par fuit. Diana enim Ilithyia est, Themidis vero ad Ilithyiam nulla est relatio, nisi ex Dianae similitudine. Ilithyiae iam vero par erat Iphigenia, Iphigeniaeque soror Chrysothemis,[3]) quo in nomine Themis dea latet. Sic duabus e partibus ad Dianam relatio sine dubio concedenda videtur, eandemque naturam eius propriam esse vel eo colligi potest, quod interdum plurale nomen Θέμιδες usurpabatur[4]).

Hac Themidis natura cognita recte iam Aeschyli fabulam intellegere possumus, quam de oraculi Delphici diis possessoribus in Eumenidum initio enarrat. Themin enim a Terra matre oraculum recepisse quondam dicit, post quam Phoebe Titanis, deinde Apollo in praesidium successissent. Quas modo nominavi deas unius numinis tres formas esse apparet, nempe illius Indogermanicae deae, cuius praecipua natura Terrae vi continetur. Itaque Terra, quae vapores prodit, secundum rude antiquissimorum incolarum ingenium primo oraculi praeses dea nominabatur. Cum vero leges institutaque firmata essent deaque legum custos habita esset, Themidi nomen ei inditum est. Tertium denique nomen Φοίβη antiquissimam 'Dianam' significat, quae duo nomina idem valent. Sed cum in hoc nomine antiquissima Dianae forma lateret, Titanis appellata et Asteriae Latonaeque facta est mater, ut discernerent hanc ab illa poetica Dianae figura, quae Apollinis soror vulgo habebatur. Ceterum Pausanias[5]) de eadem re disserens Phoebes mentionem non facit, immo Apollinem a Themide ipsa oraculum condonatum recepisse narrat. Idem a Terra tradit nympham quandam, Daphnin, vatem factam esse, unde mihi, cum etiam Dianam

---

[1]) Eur. Med. v. 168. Plat. Legg. 11, 936E. Eur. Iph. Taur. v. 797 sq.
[2]) Nonn. 41, 162.
[3]) Hom. *I*, 145, 287. Schol. ad *A* 7.
[4]) Pind. Ol. X, 24. P. II, 31, 5. cf. supra p. 53.
[5]) P. X, 5, 5 sqq.

Daphnaeam iam commemoraverimus, satis apparere videtur oraculi praesidem primo fuisse naturalem nostram deam, quam postea vulgo Ἄρτεμιν appellabant, quod quidem nomen antiquissima aetate Delphis non usitatum erat[1]).

Hoc igitur Themidis nomine naturalis dea significatur, quae legum et humanarum et divinarum omniumque naturalium rerum custos habebatur neque a Natura ipsa, quam divino ingenio praeditam esse putabant, discerni potest, i. e. a Dianae numine.

Praeterea autem dea quasi vates apparet, cum oraculum possederit, et poetica indole instructa sit necesse est. Sic illa musica deae vis explicanda est, quae in Diana comparet. Praeterea intacta silvarum, pratorum, montium natura, quae quasi deae dominium dici potest, et amoenitate et maiestate ad hymnos componendos facillime incitamur, ut religionis vates fiamus. Item apud Graecos agricolae diebus festis Dianam, i. e. naturam personificatam, nec non pastores carminibus semper celebrabant, unde poesis Graecae non exigua pars originem duxit, bucolica poesis[2]), quae in Sicilia Dianae in sollemnibus primo adhibebatur. Etiam Lacedaemonii Dianae in honorem certamina musica diebus festis celebrabant Καλαβίδια vel ΚαλαϜοίδια nomine[3]), quibus musica Dianae natura indicari videtur. Eadem de causa Graeci Dianam cogitabant nympharum choros ducentem, qualem iam Homerus (ζ 102 sqq.) describit. Hanc Dianae naturam praecipue significat cognomen Hymniae, quod et vetustissimum et vulgatissimum tota Arcadia erat[4]). Cum vero Dianae, quae antiquitus ab Arcadibus colebatur, ad Apollinem nulla sit relatio, perversum plane est ex Apollinis similitudine hanc Dianae indolem explicare, id quod vulgo factum est. Neque ad nuptialem deam cognomen referre

---

1) Etiam Dodonae vaticinantes feminae erant, qualis Delphis Pythia, unde ibi quoque oraculum deae nostrae fuisse colligere possumus. Plat. Phaedr. p. 244 B.

2) Bucol. Gr. ed. Ahrens, praef.

3) Hesych. s. v.

4) P. VIII, 5, 11 σέβουσιν ἐκ παλαιοτάτου καὶ οἱ πάντες Ἀρκάδες Ὑμνίαν Ἄρτεμιν. Ibid. 13, 1.

possum[1]), cum inter Hymenaeum et hymnum multum intersit. Itaque Hymnia dea nulla alia est, quam ea, quae ad hymnos componendos et canendos incitat, et talis dea propter musicam indolem Diana est a Musis non diversa. Camenae enim eadem ratione a carminibus nomen duxerunt, qua Diana Hymnia ab hymnis.

Sic etiam Graecorum *Μοῦσαι*, cum earum natura Dianae simillima sit, ad hanc antiquissimam deam referendae mihi videntur. Namque etiam Nympharum in ordine habebantur[2]), quas Nymphas ex universa Dianae natura manasse supra comprobavimus. Itaque Musam conicio nominatam fuisse quondam antiquissimam naturalem deam, ubi imprimis in conficiendis carminibus et canendis adiutrix putabatur. In hac re Carmentam Romanorum conferre licet, quae a vaticinando nominata simul parturientibus feminis opem ferre putabatur, qua in religione Dianae vel Ilithyiae similitudo satis apparet, quamquam illud nomen tantum musicam vel vaticinantem deam significat. Nec cum multiplicationes nostrae deae saepe iam notaverimus offendimur, quod Musa quoque multiplicata est. Suam enim quisque poeta Musam colebat eodem pacto, quo femina suam quaeque Ilithyiam. Postea vero secundum poesis genera novem excogitatas esse Musas satis notum est neque ad hanc disputationem quidquam attinet, cum multo posteriore aetate haec officiorum distributio facta sit, quam quo Musarum cultus ortus est. Cuius religionis antiquissimum extat testimonium, cum tradatur Thraces Pelasgicos Musas maxime coluisse, qua de gente familiae ortae erant, quae oraculum Pythicum obtinebant, *Θρακίδαι* nomine[3]). Cum iam Delphis antiquissimis temporibus naturalis deae cultum floruisse modo comprobaverimus, eundem illum Musarum cultum fuisse atque hunc Delphicum vel omnem Graecarum gentium vetustissimum satis constat. Itaque Musae etiam Dianae muneribus interdum fungebantur,

---

[1]) Braun, Artemis Hymnie und Apollon mit dem Armband, eine Spiegelzeichnung. 4°. 1842.

[2]) cf. Preller, Myth. Gr. I, p. 400.

[3]) Diod. Sic. 16, 24.

velut Hegemones, cum Musae Ionum vel Neleidarum duces ad coloniam Ephesum condendam proficiscentium fuisse perhiberentur[1]).

Ipsum Musarum nomen ad Dianam in cognomine **Mysiae** tralatum mihi videtur, cuius in Laconice fanum erat[2]). Neque sententiae meae obest, quod Ceres quoque eodem cognomine appellabatur[3]), cum Cererem et Dianam antiquitus eandem deam fuisse dixerimus. Ad Mysiam Asiae provinciam Cereris cognomen ne ab antiquis quidem referebatur, cum a templorum conditoribus Cererem cognominatam fuisse Pausanias tradat. Itaque ne Dianae quidem cognomen Asiaticam huius cultus originem probare potest. Cereris vero Mysiae templum prope Pellenam in Achaia Mysaeum nominabatur, quod **Musei** (i. e. Musarum templi) forma dialectica quaedam videtur fuisse. Eadem ratione Dianam M*y*siam pro M*u*sia dictam esse verisimile est, cum vel Musae ipsae Aeolica dialecto Mysae dictae esse tradantur[4]).

At etiamsi hanc Mysiae Dianae explicationem non comprobaveris, tamen Dianae musicam naturam et Musarum similitudinem abnuere non poteris.

Supra Dianam oraculorum praesidem esse notavimus: cum haec quoque dea locorum diversitate multiplicaretur, **Sibyllae** excogitatae sunt, quae antrorum vel fontium incolae vaticinantes erant, i. e. deae naturalis locales personificationes. Cum vero Diana ipsa Sibylla nominaretur[5]), dubitatio de huius religionis origine iam esse non potest. Delphica imprimis Sibylla Diana nominabatur, qua re rursus nostra de antiquissimo cultu Delphico sententia confirmatur. Ceterum

---

1) Philostr. Imag. II, 8, p. 823.

2) P. III, 20, 9.

3) P. II, 18, 3; VII, 27, 9.

4) Clem. Alex. Protrept. II, 31, p. 27 (Pott): *ὁ δὲ Μάκαρ* (Lesbiorum rex) *Μούσας θεραπαινίδας ταύτας τοσαύτας τὸν ἀριθμὸν ὠνεῖται καὶ καλεῖ Μύσας κατὰ τὴν διάλεκτον τὴν Αἰολέων.*

5) Clem. Alex. Strom. I, p. 384, Pott, cf. p. 358. Suid. s. v. *Δελφίς*. P. X, 12, 2: *καλεῖ δὲ* (Herophila in hymno) *οὐχ Ἡροφίλην μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἄρτεμιν ἐν τοῖς ἔπεσιν αὐτήν, καὶ Ἀπόλλωνος γυνὴ γαμετή, τοτὲ δὲ ἀδελφὴ καὶ αὖθις θυγάτηρ φησὶν εἶναι.*

notandum est Sibyllarum indolem vulgo ad Apollinem referri, quod non ita antiquam olet originem. Sibyllini autem libri cur Apollinis et Dianae cultum maxime commendaverint, facile jam quispiam intelleget.

Omnes iam Dianae antiquissimae virtutes et formas perlustravimus et quomodo ad principalem naturam referendae sint simplicissima qua potuimus ratione explicavimus, id quod huius opusculi consilium fuerat. Simul Graecorum antiquissimam religionem et Olympicorum deorum origines multo perspectiores se praebituras esse spero, cum Dianae unicam extare naturam neque diversas fuisse huius deae naturas docuerimus. Deinde hac nostra disquisitione indicatum mihi videtur esse, qua ratione Graecorum religio ad Indogermanicam adnectenda sit. Quas verum similitudines inter Graecorum et Germanorum antiquissimam religionem videmus, hic singulas enumerare longum erat, neque enim Indogermanorum mythologiam vel religionis historiam comparativam hac disputatione absolvere volui. Id vero constat etiam apud Germanos talem naturalem deam inveniri, qualem Dianam esse explicavimus. Simrockii in libro, quem de mythologia Germanica scripsit (p. 348) hae sunt verba 'In Berchta und Holda, in Nerthus, Freyja und Frigg, ja fast in allen deutschen Göttinnen sehen wir nur einzelne Seiten und Erscheinungen dargestellt, die zusammengenommen einst das Wesen der geheimnissvollen, wirkenden Erdgöttin ausmachten, der grossen Lebensmutter, die Segen und Fruchtbarkeit spendend selbst als Todesgöttin nicht verderblich wirkt, indem sie die Seelen der Verstorbenen in ihren mütterlichen Schooss zurücknimmt.' Dearum virtutes et attributa apud Germanos et Graecos saepe eadem sunt, velut apud illos quoque aper et cervus huius deae sacri erant[1]). Itaque ii, qui accuratius comparativam rationem exercent,

---

[1]) cf. Simrock, Handbuch der deutschen Mythologie, Bonn 1855, p. 370 sqq.

plurima comprobabunt, nonnulla fortasse corrigent, certe huic rationi et viae fructus non deerunt.

Exempli gratia ex comparatione religionum opinionem deducere possumus, canem ad Dianam et Hecaten additum minus venatricem indicare deam quam infernalem dominam[1]). Vel Dianae Pheraeae infestam naturam optime intellegemus, si equi ad mortem relationem quandam extitisse probaverimus[2]). Vel Dianae epitheton χρυσηλάκατος proprio sensu accipiendum esse eo confirmari videtur, quod Germani Holdam et Berhtam, Dianae simillimas deas, aeque colo instructas esse cogitabant. Pauca tantum hic addidi, fundamentum vero comparationum dearum Graecarum et Germanicarum eo posuisse mihi videor, quod Dianae, antiquissimae deae, naturam principalem explanavi et singulas virtutes recentioresque deas, quae ex illa declinatae sint, enumeravi. Praeterea hac disputatione comprobasse me arbitror Dianae cultum ad Graecos minime ex Semitica religione tralatum esse, id quod plurimi opinabantur, neque lunarem naturam esse deae principalem, quam fere omnes mythologi falso statuerunt. Nec tamen omnia, quae ad Dianae apud Graecos cultum pertinerent, aut ex consilio tractanda nobis erant aut tractata sunt. Itaque omisi disputationem de caerimoniis et diebus festis, de poetarum posteriorum deae laudationibus, de imaginum deae immensa multitudine deque symbolorum et attributorum omnium notione, de quibus tamen nonnulla, quae ad Dianae naturam perspiciendam non parvi momenti erant, suo loco proposui: omnia vero singulatim pertractare ultra huius disputationis circuitum progreditur.

---

[1]) Simrock, l. l. p. 385: 'Der Hund, der Jungfrauen Begleiter und Schatzhüter, ist der Höllenhund.'

[2]) Id. p. 386.

Typis E. Gutmanni, Vratislaviae.

Vita.

Adolfus Claus, fidei evangelicae addictus, natus sum a. d. XIII Cal. Sept. anni h. s. LV, patre Henrico, matre Henrietta e gente Suessmann, Vratislaviae: cuius urbis gymnasium Elisabetanum Carolo Rudolfo Fickert rectore ab infimo ad summum ordinem per duo lustra frequentavi. Testimonium maturitatis adoptus m. Oct. anni h. s. LXXIV universitatem litterarum Viadrinam adii phylologiae archiaeologiaeque operam daturas: eodem anno patris dilectissimi morte graviter afflictus sum. Quattuor post semestria Berolinum me contuli, ubi studiorum continuandorum causa et archaeologicis exercitationibus, quas E. Curtius et C. Robert moderabantur, interfui et scholis virorum ill. E. Curtius, Droysen, Huebner, Kirchhoff, Joh. Schmidt, Schrader, Vahlen, Zeller. Duo semestria ibi versatus in Viadrinam universitatem redii, cuius me docuerunt professores ill. Bluemner, Dilthey, Elvenich, Foerster, Freudenthal, Hertz, Neumann, Partsch, Reifferscheid, Rossbach, Schultz, Stenzler, Weinhold. Exercitationibus archaeologicis viro ill. Augusto Rossbach moderante sex semestria interfui et seminarii theodisci extraordinarii exercitationibus a v. ill. Weinhold institutis tria semestria. Omnibus, qui de me optime meriti sunt, praeceptoribus memori animo gratiam habeo semperque habebo, imprimis vero vv. ill. Rossbach et Robert, qui suadendo et auxiliando mihi adfuerunt.

Theses.

I. Cic. Tim. 2, 3 pro 'Quorum alterum intellegentia et ratione comprehenditur, quod unum atque idem semper est: alterum, quod adfert opinionem sensus rationis expers, quod totum inopinabile est' scribam 'quod adfert opinio et sensus e. q. s.'

II. Achaeorum nomen a radice 'akva' (i. q. aqua) derivandum est.

III. Monumentum Apollinis, Mercurii, Nympharum Thasium (cf. Overbeck, hist. sculpt. Graec. I, p. 167, 3. ed., et Michaelis, act. archaeol. Berol. 1867, n. 217), primitus ita compositum erat, ut tabula, quae Mercurium exhibet, a dextra parte ianuae mediae apposita et huic adiuncta esset ea tabula, in qua tres nymphae insculptae sunt, et ut omnes quatuor tabulae continua serie constitutae uno aspectu conspici possent.

IV. Stenographia secundum systema Guilelmi Stolzli in omnibus scholis superioris ordinis docenda est.